



MEMORIALE

RITUUM

MAJORIS HEBDOMADÆ

MEMORIALE

RITUUM

MAJORIS HEBDOMADÆ

PRO FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS

ARCHIEPISCOPO CELEBRANTE

VEL ASSISTENTE

AD USUM S. BENEVENTANENSIS ECCLESIAE

JUSSU S. M. BENEDICTI PP. XIII.

OLIM EDITUM

Nunc vero quamplurimis additionibus ad usum aliarum Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium

LOCUPLETATUM ET AUCTUM CURANTE

GABRIELE VERRILLO

S. Metropolitanæ Ecclesiæ Capuanæ Canonico



NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA ANDREÆ FESTA

In Via Carbonaria n. 104.

MDCCCLV

Custodi praecepta Domini Dei tui, ac testimonia, et ceremonias, quas praecepit tibi.

Deuter. VI. v.17.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

FRANCISCO ANTONIO MAJO-ORSINI

EPISCOPO HELENOPOLITANO

SS. D. N. PII PP. IX. PRÆLATO DOMESTICO

EMINEN. ET REVEREND. DOMINI

CARDINALIS JOSEPHI COSENZA

ARCHIEPISCOPI CAPUANI

IN SPIRITUALIBUS AC TEMPORALIBUS

VICARIO GENERALI

Gabriel Verrillo felicitatem

Miraberis fortasse, Praesul Amplissime, me opusculum hoc, mole quidem minimum, et a multis fere haud cognitum, tuo nomini dicare voluisse, cum illud Neapolitanis typis prodere cogitaverim. Verum, pro tua in optimum quidque, qua polles, sedulitate, si quandoque illud subsecivis horis percurrere dignabere, profecto fiet, ut reor, ne meum hocce consilium forsan flocci esses facturus, quando non parvam utilitatem,

tyronibus Caeremoniariis futuram, in eo agnoscere Tibi datum fuerit; quandoquidem absolutissimam continet praxim Pontificalium functionum, altissimarum rerum mysteria repraesentantium, quae Ecclesia Catholica Christiano populo in Maiore Hebdomada meditanda proponit. Insuper *MEMORIALI* isti magnum nomen accedit, cum (praeter nonnullas meas accessiones) sit illud idem, quod inter cetera Sacras Litur-

giae opuscula F. Vincentius M.a Card. Ursinius Archiepiscopus Beneventanae Ecclesiae 1706 primum, et deinde ad Romani Pontificatus apicem sub nomine Benedicti XIII jam evectus, ad usum ejusdem Ecclesiae, quam adhuc retinuit, anno 1725 tertio typis Romanis edi iusserat.

Tua igitur, Praesul Amplissime, benignitate quanta maxima confisus, munusculum levidente, meae in te gratulationis te-

stem ob collatam Tibi Episcopalem Dignitatem venerabundus offero, ac laborem, quantulumcumque, reverenter oblatum, si tanti est, amplectere, fove, tuere, et sine, ut clarissimi nominis tui fulgore munitum prodeat, sicque a Sacrorum Rituum studiosis lubenti animo excipiatur. Diu felix vivas Amplissime Praesul, et Tibi omnia fausta a Redemptore Jesu ex corde adprecor.

Capuae Kalendis Martii MDCCCLV.

REVERENDISSIME DOMINE

Quod in opusculo, cuius titulus **Memoriale Rituum Maioris Hebdomadae,** *meum nomen inscribere volueris mihi pergratum est. At illud mea commendatione parum egere videtur; cum enim auctoritate tam praeclari Pontificis* BENEDICTI XIII. *editum olim fuerit, eiusque patrocinio suffultum, ex hac re tantum satis est cuique commendatum. Quare illud mihi potius, quam me illi existimationem aliquam conciliare, pro certo habeo. Hunc igitur, quem suscepisti*

laborem, utpote qui non parvam Clero utilitatem sit allaturus, maximopere laudo, tibique gratias ago quod meum nomen ita condecorare volueris. Deus totius consolationis ut sit semper tecum, exoro. Vale.—Datum Capuae tertio Idus Martii anno reparatae Sal. MDCCCLV.

Tui addictissimus
FRANCISCUS EPISCOPUS HELENOPOLITAN

Reverendissimo Domino
Gabrieli Verrillo Canonico
Metropolitanae Ecclesiae
Capuae

AD TYRONES CÆREMONIARIOS BREVIS ADMONITIO

Magna illa celebritas, quam apud Sacrorum Rituum Scriptores promeruit Memoriale Rituum Majoris Hebdomadae Archiepiscopo celebrante, *jussu S. M. Benedicti Papae XIII ad usum S. Beneventanae Ecclesiae editum, ex eo manavit, quod exactissimam sacrarum functionum ipsius hebdomadae exhiberet praxim quotiescumque illius Ecclesiae Pontifex rem sacram perageret; ex quo factum, ut opus a praeclarissimo Viro Cajetano Maria Merati in suis Commentariis ad Gavantum satis fuisset commendatum. Ast cum exemplaria tertiae editionis Romanae anni MDCCXXV pene defecerint, et ipsius usus in ceteris Ecclesiis Metropolitanis, et Cathedralibus, ceteris paribus, ut autumo, sit perutilis, ne dicam necessarius, ut debito cum decore et majestate sacrae functiones diligentissime exercerentur eo potissimum tempore, quo praestantiora nostrae Reparationis mysteria a fideli populo recoluntur; visum*

fuit illud typis Neapolitanis recudere, quod quidem apud non paucos tyrones Caeremoniarios erat in votis.

Ut igitur istis rem gratam facerem, hac in editione nonnullae adjectae sunt additiones, quae ut a textu Memorialis discernerentur, ad oram cujusque folii distinctis typographicis formis repositae conspiciuntur numeris arabicis notatae, quod haud contemptibili consilio factum ad usum illarum Ecclesiarum, quae non ad Orientem, seu sub Tribuna, ut in Ecclesia Beneventana, Altare Majus constructum habent juxta primitivae Ecclesiae consuetudinem, sed e conspectu populi et Altare et Chorum retinent; quod notabilem varietatem in praxi exhibet.


Accedit insuper nunc primum appendix, continens ministeria Sacrorum Ministrorum, qui Archiepiscopo celebranti assistentiam praestant, ne tedio afficerentur, totum Memoriale percurrendo, ad singula officia in mentem revocanda (1). Prudentis Caeremoniarii porro erit, nonnullas actiones in hoc memoriali contentas quandoque aliter dirigere, si forte alicubi structura Ecclesiae id exposcat; et omittere quae Archiepiscopi sunt propria, si

(1) Omissa heic sunt ministeria inferiorum Ministrorum, cum satis abunde descripta sint in opere Bartholomaei Riceputi cui titulus. *Il Seminarista istruito nelle funzioni Ecclesiastiche ec.* Beneventi impresso anno 1755, quod, dante Deo, pariter recudetur.

Ecclesia Episcopali tantum Dignitate praefulgeat.

Accipite, Tyrones Caeremoniarii, lubenti animo Memoriale istud his accessionibus auctum, et, quando opus fuerit, illud percurrite, ne insuetarum anfractus caeremoniarum vos deterreat, et ut qua decet diligentia sacras Caeremonias dirigere valeatis. Valete.





TITULUS I.

DE DOMINICA PALMARUM

ARCHIEPISCOPO CELEBRANTE, VEL ASSISTENTE.

—

CAP. I.

De praeparandis pro sacris Functionibus hujus Dominicae.

In Secretario.

1. *Stola violacea pro Diacono* (1).
2. *Paramenta missalia pro Celebrante, et Ministris, si Archiepiscopus palmas tantum benedicat.*
3. *Tres stolae, et manipuli tres violacei co-*

(1) *1. Amictus, cingulum et alba pro Diacono et Subdiacono, et Stola violacea pro primo.*

loris cum totidem missalibus pro Cantoribus Passionis.

4. *Intorticia pro elevatione in Missa.*

In Aula Majori Paramentorum (1).

1. *Pluvialia, planetae, ac planetae plicatae violacei coloris pro Canonicis.*
2. *Pluvialia quatuor pro Ministris.*
3. *Planeta plicata pro Crucifero.*

In Altari Majori

1. *Altare aliis Dominicis Quadragesimae solemnius ornatum.*
2. *Crux in eo velo violaceo tecta cum septem candelabris argenteis, si Archiepiscopus Missam cantet; et inter haec palmarum rami in suis vasis repositi.*
3. *Alia candelabra pro Horis Canonicis.*
4. *Paramenta Archiepiscopi super eo, videlicet: Mitra simplex, Pectorale, Pluviale, et Stola violacei coloris, Crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, et superpelliceum* (2) *omnia velo serico violaceo cooperta: et Pastorale in cornu Epistolae.*
5. *Tegumenta sericea pro lectione, et Evan-*

(1) *Si haec aula habetur, alias in Secretario, in loco congruo.*

(2) *Superpelliceum omittitur, si Archiepiscopus vel Episcopus non sit ex Ordine Regulari assumptus; et sic sequentibus diebus.*

gelio in benedictione Palmarum, et pro Epistola Missae.

6. Duo scabella pro Diacono, et Subdiacono prope Altare.

7. Ligneus pes pro sustinenda Cruce Archiepiscopali, a latere Evangelii cum alio scabello pro Crucifero.

8. Crux Capituli in latere Epistolae pro Processione, et vittae violaceae duae pro ligandis ramusculis olivarum in summitate Crucis Archiepiscopalis, et Capituli.

In Abaco, seu Credentia Altaris majoris.

1. Duo manipuli, et planetae plicatae pro Diacono, et Subdiacono, et Stola latior pro primo.

2. Epistolarium, et Evangeliarium.

3. Thuribulum cum navicula, et vas aquae benedictae cum aspersorio.

4. Candelabra cum cereis pro Ceroferariis.

5. Gremiale lineum pro distributione palmarum.

6. Argentea vasa, praeter alia, ad abluendas manus cum medulla panis, et mantilia pro gremio, et abstersione manuum.

7. Paramenta Pontificalia pro Missa, scilicet: Sandalia cum velo humerali, gremiale, annulus pontificalis, mitra auriphrygiata, pallium cum velo, et pelvicula cum spinulis, planeta, chirothecae, dalmatica, tunicella, et stola (si planeta a pluviali differat) violacei coloris, velo serico cooperta; quae

omnia, dum fit processio palmarum ponuntur super Altare, exceptis sandaliis.

8. *Calix pro Missa cum purificatorio, patena cum duabus Hostiis, palla, velo, ac bursa cum corporali.*
9. *Vasa pro praegustatione, et ampullae vini, et aquae.*
10. *Legile argenteum pro Missali.*
11. *Tabella Indulgentiarum.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Genuflexorium cum pulvinaribus violaceis.*
2. *In plano a sinistris sedis pontificalis abacus, seu mensa mantili albo cooperta cum palmis benedicendis.*
3. *Prope eamdem mensam missale cum suo tegumento violaceo, bugia, et liber Canonis.*
4. *In sede Pontificali ligneum instrumentum pro elevando pulvinari etc.*
5. *Pulvinar pro genuflectendo in Epistola ad ea verba:* In nomine Iesù etc.

In plano Epistolae.

Faldistorium ligneum deauratum cum veste violacea pro Celebrante, si Archiepiscopus Missam non cantet. Tria scabella pro Presbytero assistente, Diacono, et Subdiacono.



CAP. II.

De Sacris ritibus in Dominica Palmarum absolvendis Celebrante Archiepiscopo.

§. I.

De accessu Archiepiscopi usque ad paramentorum sumptionem pro benedictione Palmarum.

1. Absolutis Laudibus, Diaconus, et Subdiaconus in Secretario pro paramentis, et deinde post Primam in albis ad Altare, et Canonici ad Archiepiscopium.
2. Archiepiscopus solito comitatu ad Ecclesiam.
3. Post consuetam aspersionem, et orationem ante Sacramentum, et Altare majus, ad propriam Sedem cum Diaconis assistentibus.
4. Acolythi ad aulam majorem pro paramentis Canonicorum.
5. Diaconus, et Subdiaconus ad Archiepiscopum recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.
6. Immediate Acolythi cum paramentis ad Archiepiscopum.
7. Archiepiscopus accipit paramenta, videlicet, cottam, amictum, albam, cingulum violaceum, Crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, pectorale, et mitram simplicem; et accedit Minister cum Pastorali.

8. Acolythi afferunt paramenta cum mitris pro Canonicis, qui ea suscipiunt dum induitur Archiepiscopus pluviali.
9. Ministri induuntur pluvialibus, et Cruciferarius planeta plicata in aula majori, et statim in Choro.
10. Accedentibus denuo Diaconis assistentibus, Diaconus, et Subdiaconus recedunt, et in propriis locis prope Altare manipulos, et planetas plicatas accipiunt.

§. II.

De benedictione Palmarum.

1. Cantores intonant, et prosequuntur Antiphonam. *Hosanna* etc.
2. Archiepiscopus sedens eamdem legit, accedentibus Ministris de libro, et bugia.
3. Archiepiscopus surgens sine mitra, dicit: *Dominus vobiscum*, et orationem: *Deus, quem diligere etc.* in tono (a) feriali, junctis manibus; et tandem sedet cum mitra.
4. Subdiaconus, deposita in proprio loco planeta plicata, ibidemque accepto Epistolario, (1) cantat in consueto loco Lectionem in tono Epistolae, omnibus sedentibus.

(a) Bauld. part. 4. cap. 6. art. 2. n. 4.
(1) *Vadit ad legile cum debitis reverentiis.*

5. Completa lectione, Cantores cantant ℟. *Collegerunt etc.*
6. Interim Subdiaconus ad Archiepiscopum pro osculo manus, et in proprio loco reassumit planetam plicatam.
7. Archiepiscopus legit lectionem, et ea, quae sequuntur usque ad Evangelium inclusive.
8. Interim Diaconus, dimissa in proprio loco planeta plicata, accipit stolam latiorem, et Evangeliarium, defert illud super Altare: deinde ad Archiepiscopum pro osculo manus, et demum ad Altare in inferiori gradu genuflexus dicit: *Munda cor meum* etc.
9. Presbyter assistens cum Thuriferario ad Archiepiscopum pro benedictione thuris, et remanente Presbytero, Thuriferarius discedit.
10. Proceditur ad benedictionem, et Evangelium de more.
11. Archiepiscopus osculatur librum, et a Presbytero incensatur, qui deinde recedit.
12. Diaconus interim in suo scabello resumit planetam plicatam, dimissa stola latiori, et manipulo, una cum Subdiacono.
13. Archiepiscopus dicit in tono feriali. *Dominus vobiscum* cum oratione: *Auge fidem* etc. deinde Praefationem etiam manibus junctis (a) (1).

(a) Gavant. Bauld. Bissus, Corsettus contra Turrinum.

(1) *Cappellano librum sustinente.* (Caerem. Episc. lib. 2. cap. 21. num. 4.)

14. In fine Praefationis Chorus cantat. *Sanctus*, et Archiepiscopus illud dicit cum Assistentibus.

15. Postea subjungit: *Dominus vobiscum* et quinque sequentes orationes.

16. Incepta quinta oratione scilicet: *Benedic quaesumus Domine* etc. Presbyter assistens cum Thuriferario, et Acolytho cum vase aquae benedictae, et aspersorio ad Archiepiscopum.

17. Archiepiscopus stans imponit incensum de more, aspergit, et thurificat palmas.

18. Recedente Presbytero assistente cum Acolythis supradictis, Archiepiscopus dicit: *Dominus vobiscum*, et sextam orationem: *Deus, qui Filium tuum* etc. et deinde sedet cum mitra.

§. III.

De Palmarum distributione.

1. Dignior ex Capitulo offert Archiepiscopo palmam cum osculo palmae, et manus: Archiepiscopus vero non osculatur palmam (a), et statim dignior paululum recedit.

Si quis Episcopus adsit, hic porrigit palmam Archiepiscopo sine osculis; qui et primus omnium in distributione recipit similiter sine (b) *osculis.*

(a) Caerem. Ep. lib. 1. cap. 16. et 21.
(b) Caerem. Rom. lib. 2, cap. 29.

2. Acolythi cum lineo gremiali ad Archiepiscopum, hinc inde genuflectentes.
3. Cantores incipiunt Ant. *Pueri Hebraeorum* etc.
4. Dignior ille, et ceteri Canonici, et inter eos Diaconi assistentes, Diaconus, et Subdiaconus, ordine eorum pro palma ad Archiepiscopum cum osculo rami, et manus.
5. Accedentibus Diaconis, ut supra, subrogantur in assistentia duo alii Diaconi subsequentes.
6. Post Canonicos paratos subsequuntur Vicarius Generalis, Prothonotarii, si adsint, Ministri parati cum Crucifero, Mansionarii, et alii de Clero, juxta qualitatem ordinis.
   (*Praelati autem, si adsint, recipiunt palmam post Digniorem offerentem, cum osculis.*)
7. Post Clerum omnem Archiepiscopus ante cancellos viris palmas distribuit.
8. Idem faciunt duo seniores Canonici cum mitris ex parte mulierum.
9. Palmae Crucibus processionalibus violaceis vittis ligentur: et Clerici hinc inde in Presbyterio.
10. Archiepiscopus deinde in sede lavat manus, accedente Presbytero assistente, qui non recedit.
11. Accedentibus Ceroferariis, Archiepiscopus deposita mitra stans, sustinente librum Presbytero assistente, cantat: *Dominus vobiscum*, et aliam orationem di-

cens : *Oremus* : *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

12. Absoluta oratione Archiepiscopus sedet cum mitra; Presbyter assistens non discedit, et Ceroferarii apud Crucem Archiepiscopalem.

§. IV.

De Processione.

1. Thuriferarius ad Archiepiscopum, qui sedens cum mitra imponit de more incensum in thuribulo, quo facto Presbyter recedit.
2. *Procedamus in pace* per primum Diaconum.
3. Chorus : *In nomine Christi Amen ;* et immediate schola cantat Antiphonam : *Cum appropinquaret*, cum aliis sequentibus, quamdiu durat processio.
4. Dirigitur Processio a parte dextera egredientis per navem lateralem, et portam ejus prope turrim campanariam ad portam principalem aeneam hoc ordine :
   1. Ostiarii.
   2. Crux Capituli per Ministrum cotta indutum.
   3. Clerici Seminarii, et alii.
   4. Mansionarii.
   5. Schola, seu Cantores cantantes, ut supra.
   6. Familiares Archiepiscopi cum scutiferis hinc inde.

7. Mazzerius, sive Claviger cum Clava argentea Cardinalitia.
8. Thuriferarius.
9. Crux Archiepiscopi per Cruciferum paratum inter Ceroferarios.
10. Canonici omnes cum mitris: et inter ipsos Diaconus, Subdiaconus, et Presbyter assistens, ordine eorum.
11. Minister cum Pastorali.
12. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes.
13. Ministri parati pro mitra, libro, et bugia.
14. Vicarius generalis, et Protonotarii.

5. Cantores deputati intrant Ecclesiam.
6. Principalis janua aenea clauditur.
7. Omnes ante illam se disponunt per duplicatum gyrum hac methodo:
   1. Juniores sint ad sinistram januae, seniores ad dexteram.
   2. Exterior gyrus sit Clericorum, Mansionariorum, et Scholae sine biretis, interior Canonicorum cum mitris.
   3. Crux Capituli in capite gyri exterioris.
   4. Crux Archiepiscopi ante januam cum imagine Crucifixi versus ipsum Archiepiscopum; Cruciferario, Ceroferariis, ac Thuriferario rectam facientibus lineam, et januam ipsam respicientibus.
   5. Archiepiscopus in medio circuli.
8. *Gloria Laus* etc. per Cantores intra Ecclesiam, repetente Schola, ut in Rituali.
9. Signum cum hastili Crucis per Crucife-

rum in parte inferiori portae Ecclesiae; versa pro tunc imagine Crucifixi sursum.
10. Porta aperitur: se retrahente aliquantulum cum suis Comministris Crucifero e medio versis faciebus ad ingredientes.
11. *Ingrediente Domino* etc. per Scholam.
12. Omnes ordine, quo supra, ingrediuntur Ecclesiam, cum reverentiis Archiepiscopo, et Cruci.
13. Terminatur Processio ante Altare, et quisque suum petit locum.
(*Nequeunte Ecclesiam egredi Processione, ea, quae facienda fuissent ante januam Ecclesiae* a n. 5. *fient ante gradus, et cancellos Ambonis.*)

§. V.

De Tertia cantanda per Archiepiscopum.

1. Acolythi pro sandaliis apud abacum.
2. Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella, et planetas plicatas deponunt.
3. Archiepiscopus ad sedem cum duobus Diaconis assistentibus, et sedet aliquantulum.
4. Stans sine mitra dicit: *Pater noster* etc. *Deus in adjutorium* etc.
5. Hymnus, et Ant. per Cantores.
6. Intonato Psal. Presbyter cum Ministris de libro, et bugia ad Archiepiscopum.
7. Archiepiscopus sedens cum mitra legit consuetos Psalmos pro praeparatione, et

accipit sandalia per Subdiaconum in albis.

8. Sine mitra surgit ad orationes, et iterum sedet cum mitra donec absolvantur Psalmi Tertiae, et Presbyter assistens non discedit.

9. A Subdiacono dicitur Capitulum in Presbyterio ante cornu Epistolae, Archiepiscopo stante cum mitra.

10. Dum dicitur ℟. Ceroferarii ad Archiepiscopum.

11. Archiepiscopus, deposita mitra, stans cantat: *Dominus vobiscum*, et orationem, sustinente librum Presbytero assistente.

12. Archiepiscopus sedens cum mitra lavat manus, et Presbyter deinde recedit.

13. Diaconus, et Subdiaconus in albis ad Archiepiscopum, non recedentibus Diaconis.

14. Subsequuntur immediate Acolythi cum paramentis pontificalibus missalibus.

15. Archiepiscopus, depositis mitra, et pluviali, accipit tunicellam, dalmaticam, chirothecas, planetam, pallium, et Mitram auriphrygiatam (*qua hac die utitur in Missa*).

16. Presbyter assistens ad Archiepiscopum pro annulo: Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella, et manipulos, et planetas plicatas accipiunt.



§. VI.

De Missa Pontificali.

1. Archiepiscopus ad Altare pro Missa sine incenso; Cruce, et candelabris (a) (1).
2. In Missa post *Dominus vobiscum* dicitur unica oratio (2).
3. Ad Epistolam, quae cantatur per Subdiaconum in albis, sed cum manipulo, omnes genuflectunt ad verba: *Ut in nomine Iesu* etc. Archiepiscopus cum mitra, deposito gremiali, apud sedem, Assistentes vero sine mitris, ceteri Canonici cum mitris in propriis locis.
4. Subdiaconus ad Archiepiscopum pro osculo manus: deinde in proprio loco accipit planetam plicatam.
5. Archiepiscopus, accedentibus Ministris, legit Epistolam, et tractum.
6. Circa finem tractus e sacristia ad Altare infrascripti procedunt pro Passione.
   1. Caeremoniarius.
   (3) 2. Canonicus pro parte textus cum mitra, et libro.

(a) Bauld. p. 5. lib. 2. c. 14. n. 10.

(1) *Adhibetur incensum ad thurificandum Altare.*

(2) *Omissa qualibet collecta* (S. R. C. 20. April. 1822. Cotroneu.)

(3) *Pro Cantoribus Passionis servetur consuetudo Ecclesiae, ubi non cantitur a Canonicis, sed a Beneficiatis, dummodo Diaconali Ordine insignitis.*

3. Canonicus pro parte turbae, ut supra.
4. Canonicus pro parte Christi, ut supra.
5. Tres Acolythi, etiam ipsi unus post alium, palmas Canonicorum deferentes.
7. In ingressu Presbyterii iidem Canonici mitras deponunt, et facta Altari reverentia, ad Archiepiscopum pro osculo manus, deinde ad Ambonem (1).
8. Ibi Canonicus pro parte Christi in medio (a), Textus a dextris, Turbae a sinistris, et tres Acolythi post eos, mitras et palmas eorumdem tenentes.
9. Dicitur Passio, in qua omnes stabunt nudo capite, palmas manibus tenentes, et genuflectent ad verba: *Emisit Spiritum*, et surgent surgente Diacono (b) Textus.
10. Archiepiscopus (c) accedens ad Altare in cornu Epistolae stando legit Passionem usque ad eam partem, quae dicitur in tono Evangelii.
11. Finita Passione supradicti Canonici Cantores cum Acolythis ordine, quo venerant, recedunt, resumentes mitras in egressu Presbyterii.

(1) *Iis in Ecclesiis, ubi non adest Ambo; Passio cantatur in Presbyterio apud Legilia in cornu Evangelii locata, versa facie ad meridiem, seu ad eam partem, quae pro meridie figuratur.*

(a) Castald. l. 3. lect. 5. n. 4. et 5. ex Par. Crass. at aliter Bauld. Merat: et rectius, ex praxi Basilicarum Urbis Romae, scilicet textus in medio.

(b) Caerem. Episc. l. 2. c. 25.

(c) Caerem. Rom. l. 2. c. 29. et 31.

12. Archiepiscopus (1) sedet cum mitra, et gremiali, et legit eam partem, quae cantanda est in tono Evangelii.
13. Interim Diaconus, dimissa planeta plicata, ac accepta stola latiori, defert librum ad Altare: deinde ad Archiepiscopum pro osculo manus, et iterum ad Altare pro *Munda cor meum* etc.
14. Archiepiscopus imponit incensum de more, accedente Thuriferario.
15. Proceditur ad benedictionem, et Evangelium hoc ordine:
 1. Caeremoniarius.
 2. Thuriferarius.
 3. Duo Acolythi sine candelabris, et manibus junctis.
 4. Diaconus cum libro.
 5. Sequitur Subdiaconus.
16. Archiepiscopus in fine Evangelii osculatur librum, et incensatur.
17. Proceditur in Missa, ut alias.
18. Dum cantatur Communio post sumptionem (a) Sanguinis, Diaconus, deposita stola latiori, accipit planetam (b) plicatam, quam iterum cum manipulo dimittit, sicut et Subdiaconus, finita Missa.
19. Archiepiscopus, data benedictione solemni, et dimisso Pallio, signans Altare, incipit Evangelium S. Ioannis, et sumpta

(1) *Reversus ad Sedem Pontificalem.*
(a) Caerem. Episc. l. 2. cap. 8.
(b) Caerem. Episc. l. 2. cap. 13.

ibidem mitra, accedit ad sedem, prosequens Evangelium.

20. Afferuntur cappae Canonicorum.
21. Archiepiscopus deponit paramenta per manus Diaconi, et Subdiaconi in albis, recedentibus Diaconis assistentibus.
22. Canonici idem faciunt in propriis locis.
23. Diaconi assistentes ad Archiepiscopum cum Ministris pro gratiarum actione; Diaconus, et Subdiaconus ad propria loca.
24. Subdiaconus cum Acolythis ad Archiepiscopum pro sandaliis detrahendis.
25. Idem tandem cum Diacono redit ad Secretarium.
26. Archiepiscopus descendit ante Altare, et post orationem solito comitatu revertitur ad Archiepiscopium, remanentibus Mansionariis, et Clericis ex Sacro Seminario in Sacris constitutis in Choro pro *Sexta*, et *Nona*.



CAP. III (1).

De Missa hujus Dominicae per Canonicum cum paramentis ad instar Abbatum celebranda coram Archiepiscopo cum pluviali assistente, et palmas tantum benedicente.

1. Dicta hora *Tertia*, Diaconus, et Subdiaconus in albis ad Altare, et Canonici ad Archiepiscopium.
2. Archiepiscopus solito comitatu ad Ecclesiam, et proceditur ad palmarum benedictionem, distributionem, ac processionem, ut supra Cap. II. §. I. n. 3. et seq. usque ad §. IV. inclusive.
3. Archipresbyter celebrans cum suis Presbytero assistente, Diacono, et Subdiacono, acceptis palmis, ad Secretarium pro paramentis missalibus.
4. Duo Canonici Diaconi post distributionem palmarum ad aulam paramentorum pro dimittendis planetis, ut praesto sint ad assistentiam cum cappis.
5. Dum processio revertitur in Ecclesiam, Celebrans cum Ministris ad Faldistorium, et scabella respective apud Altare.

(1) *Quae hoc Capite 3. et 4. seq. descripta sunt, habent locum in iis Ecclesiis ubi Capitulum Canonicorum Mitra, et Paramentis Pontificalibus instar Abbatum, usum Mitrae habentium, condecoratur, uti in Capuana, Beneventana, Viterbiensi, Mediolanensi, et similibus.*

6. Diaconus et Subdiaconus: benedictionis palmarum, facta in Presbyterio reverentia Cruci, ad Secretarium pro dimissione paramentorum, et inde cum cappis ad Chorum.
7. Archiepiscopus ante Altare, et accedentibus Celebrante cum Ministris, et Diaconis in habitu Chorali (ut supra num. 4.) recedentibus primis paratis, deposita mitra facit Confessionem etc.
8. In Confessione Archiepiscopus habebit a sinistra Celebrantem stantem paulo post se (a), a dextris veró suos Diaconos assistentes eodem modo, Presbyter assistens Celebrantis a sinistris ejusdem, sed pariter aliquantulum post eum, Diaconus simili modo a sinistris Presbyteri, et Subdiaconus a sinistris Diaconi, habens in manibus manipulum Celebrantis: omnes tres genuflexi.
9. Interim Canonici, dimissis paramentis in propriis locis, Confessionem, et alia dicunt de more.
10. Dicto *Indulgentiam etc.* surgunt Ministri Celebrantis, et Celebrans ipse retrahit se ab Archiepiscopo versus cornu Evangelii facie versa ad Archiepiscopum, ibique habens a dextris Presbyterum assistentem, a sinistris Diaconum in recta linea, accipit a Subdiacono inter se, et

(a) Bauld. p. 5. c. 9. art. 2. n. 1. in 2. lib. Caerem. Ep.

Diaconum, manipulum: Et interim tam Archiepiscopus ante Altare cum suis Diaconis, quam Celebrans, ubi supra, cum suis Ministris, prosequuntur, et complent Confessionem.

11. Archiepiscopus accepta mitra auriphrygiata (*qua hac die utitur in Missa*) accedit ad sedem.

12. Presbyter assistens cum primis Diaconis ad Archiepiscopum, recedentibus secundis, qui suppleverant.

13. Archiepiscopus imponit incensum de more, et post incensationem Altaris, et Celebrantis, incensatur et ipse.

14. Proceditur in Missa, ut alias, usque ad Epistolam, in qua ad verba: *In nomine Jesu* etc. omnes genuflectunt: Archiepiscopus in sede cum mitra, Celebrans ante Faldistorium, deposito gremiali, retenta mitra, facie versa ad Altare, reliqui in suis locis.

15. Ad Passionem omnia, ut supra cap. 2. §. 6. n. 7. et seqq.

16. Celebrans, deposita mitra, vadit de Faldistorio ad Altare in cornu Epistolae, et versus Cantores Passionis legit eamdem, astantibus Ministris a dextris ejus; Presbyter assistens in secundo gradu ministrat Librum; Diaconus, et Subdiaconus in plano versa facie ad Celebrantem, et Cantores, ita ut Subdiaconus sit a dextris (1) Diaconi, et remotior a Celebrante.

(1) *In Ecclesiis, quae non habent Altare ad Orientem, Subdiaconus stat a sinistris Diaconi.*

17. Ad Passionem omnes habeant palmas in manibus, etiam Celebrans, Diaconis cantoribus tantum exceptis.
18. Completa Passione, omnes sedent, et Celebrans sumit mitram in eodem loco, redit ad Faldistorium per breviorem, et sedens cum gremiali, legit eam partem, quae cantanda est in tono Evangelii.
19. Cantores redeunt ordine, quo supra, in Secretarium.
20. Cetera persolvuntur de more, excepto quod ad elevationem Archiepiscopus solus palmam in manibus tenet.

CAP. IV.

De Vesperis per Canonicum in paramentis ad instar Abbatis cantandis, Archiepiscopo assistente cum cappa; Et de Completorio.

1. Campanarum sonus pro Vesperis.
2. Mansionarii duo pro pluvialibus, et sex Acolythi cum ipsis in Aula minori paramentorum, et inde in Secretario apud faldistorium.
3. Canonicus celebrans in Secretario, deposita cappa, apud Faldistorium induitur per Mansionarios paratos super rocchetto, amictu, Cruce pectorali, stola, pluviali coloris violacei, ac mitra.
4. Praecedentibus Ceroferariis, Caeremoniario, et Acolythis medius inter duos Assistentes e Secretario ad Altare, et inde ad faldistorium.

5. Archiepiscopus more solito cum cappa ad Ecclesiam; quo ingrediente Presbyterium, Celebrans stet sine mitra, donec ille oraverit, et ad Sedem cum Diaconis assistentibus accesserit.
6. Sedente Archiepiscopo, sedet Celebrans cum mitra, et dato signo, deposita mitra surgit, et versus ad Altare dicit secreto: *Pater*, *et Ave*: ac petita prius ab Archiepiscopo licentia, incipit: *Deus in adjutorium* etc.
7. Dum intonatur Antiphona primi Psalmi, Presbyter assistens ad Archiepiscopum in scabello solito.
8. Antiphona: *Dixit Dominus*; Hymnus: *Vexilla* etc., et Antiphona: *Scriptum est enim*, ad *Magnificat*, dicuntur a Celebrante, praeintonante suo primo assistente.
9. Reliquae Antiphonae intonantur a Canonicis in Choro, praeintonante Caeremoniario Mansionario.
10. Capitulum cantatur ab aliquo Mansionario in habitu Chorali, stantibus omnibus, Celebrante verso ad Altare cum mitra, quam deponit postea pro Hymno.
11. Ad ℣. *O Crux ave spes* etc. omnes genuflectunt in locis suis.
12. Ad *Magnificat* Archiepiscopus stans imponit incensum in thuribulo more solito.
13. Interim Celebrans sine mitra a Faldistorio ad Altare cum debitis reverentiis pro incensatione.
14. Incensatur Altare de more.

15. Celebrans post incensationem Altaris in cornu Epistolae stans sine mitra (a) incensatur duplici ductu a primo ex Assistentibus, et per breviorem accedit ad Faldistorium, deponit mitram, et iterum vertit se versus Altare.

16. Archiepiscopus deinde incensatur a Presbytero assistente, et hic cum Diaconis assistentibus Canonicis, et Mansionariis a Caeremoniario; reliqui de Clero, et populus a Thuriferario.

17. Dum repetitur antiphona, omnes sedent, et Celebrans cum mitra. Interim Ceroferarii deferunt candelabra pro oratione.

18. Dicitur oratio per Celebrantem conversum ad Altare.

19. In fine Archiepiscopus dat solemnem benedictionem, accedente Crucifero cum Cruce, ac tandem descendit ad suam Sedem Choralem, recedentibus Diaconis ad propria stalla.

20. Celebrans sine mitra discessurus, medius inter Ministros, facit Altari, Archiepiscopo, et Canonicis reverentiam, et in egressu Presbyterii resumens mitram, redit in Secretarium pro dimissione paramentorum.

21. Ad Completorium facit officium Mansionarius Hebdomadarius: Archiepiscopus autem dicat ea, quae ad Praefectum Chori attinent.

(a) Ita in Cappella Papali in Sabbato Sancto in Vesperis: Papa non celebrante, sed praesente.

TITULUS II.

DE FERIA SECUNDA MAJORIS HEBDOMADÆ ARCHIEPISCOPO ASSISTENTE CUM CAPPA.

CAP. I.

De praeparandis.

In Secretario.

1. *Indumenta missalia violacei coloris pro celebrante Mansionario ac pro Diacono, et Subdiacono.*
2. *Candelabra cum cereis pro Ceroferariis.*
3. *Thuribulum cum navicula.*

In Altari Majori.

1. *Candelabra ex aurichalco cum Cruce tecta velo violaceo.*
2. *Pallium Altaris violaceum minus solemne.*
3. *Tapete super gradibus.*
4. *Tegumenta sericea violacea pro legili ad Epistolam, et in Ambone pro Evangelio.*

In Abaco, sive credentia.

1. *Vas aquae benedictae cum aspersorio pro accessu Archiepiscopi.*
2. *Calix de more.*
3. *Missale cum suo legili pro Celebrante.*
4. *Epistolarium, et Evangeliarium.*
5. *Stola latior pro Diacono.*
6. *Ampullae vini, et aquae cum sua pelvicula, et manutergio.*
7. *Tabella indulgentiarum.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Genuflexorium cum veste, et pulvinaribus violaceis, ac tapete substratum.*
2. *Scabellum pro Crucifero, et pes ligneus pro Cruce Archiepiscopali.*
3. *Sedes Pontificalis, ut heri.*
4. *Prope Sedem, liber Missalis cum tegumento violaceo, et bugia cum candela.*

CAP. II.

De Missa hujus diei per Mansionarium celebranda.

1. In fine Nonae (1) Mansionarius celebrans cum Diacono, et Subdiacono planetis pli-

(1) *Celebrans potest esse Canonicus si Mitrae usu careat, juxta propriae Ecclesiae statuta.*

catis indutis e Secretario ad Altare de more.

2. Archiepiscopus ad Ecclesiam, vel, si sit in Choro, a Sede sua Chorali ad Altare cum Diaconis assistentibus.
3. Archiepiscopus facit integram (a) Confessionem, habens a sinistris Celebrantem stantem, et Diaconum, et Subdiaconum aliquantulum post Celebrantem genuflexos (b), a dextris vero Diaconos assistentes stantes, ut diximus in cap. 3. n. 8. Dominicae Palmarum.
4. Interim *Introitus* per Cantores.
5. Finita Confessione, Archiepiscopus ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero assistentibus; Celebrans vero ad Altare.
6. Archiepiscopus imponit, et benedicit incensum, ministrante Presbytero assistente.
7. Incensatur Altare de more, et Celebrans duplici ductu.
8. Introitus a Celebrante, et Archiepiscopo. Interim Canonici exeunt pro circulo, inter quos Presbyter assistens e scabello suae assistentiae.
9. Dictis *Kyrie*, Canonici redeunt ad propria stalla, et cum illis etiam Presbyter assistens.
10. Archiepiscopus descendit ad Faldistorium ante Altare cum Diaconis assistentibus pro orationibus, sive Collectis.

(a) Caerem. Rom. lib. 2. c. 2. Castald. lib. 2. sect. 9. cap. 4. n. 2. et 3. Par. Crass. l. 2. cap. 4.
(b) Bauld. p. 5. l. 2. c. 9. art. 2. n. 2.

11. Ad orationes omnes genuflectunt praeter Celebrantem, Diaconum, et Subdiaconum.
12. Archiepiscopus post orationes ad Sedem cum Diaconis assistentibus tantum.
13. Subdiaconus, deposita planeta plicata, procedit ad cantandam Epistolam, quam interim Celebrans legit cum Graduali, et Tractu.
14. Finita Epistola, Subdiaconus ad Archiepiscopum pro osculo manus; et inde resumit planetam plicatam, et statim transfert Librum, ut Celebrans legat Evangelium.
15. Archiepiscopus, accedentibus Ministris, legit Epistolam, Graduale, Tractum, et Evangelium.
16. Interim cantatur Graduale, cum Tractu pausatim.
17. Archiepiscopus ad Faldistorium ante Altare pro *Adjuva nos Deus* etc. ad quem omnes genuflectunt, etiam Celebrans in cornu Epistolae supra suppedaneum, facie versa ad cornu Evangelii cum Ministris hinc inde genuflexis in secundo gradu.
18. Archiepiscopus ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero assistentibus.
19. Diaconus interim dimissa planeta plicata, et accepta stola latiori, defert Librum ad Altare: deinde ad Archiepiscopum pro osculo manus, et iterum ad Altare pro *Munda cor meum.*

20. Thuriferarius ad Archiepiscopum, et ministratur incensum.

21. Proceditur de more ad benedictionem cum candelabris, et ad Evangelium.

22. Archiepiscopus osculatur Librum, et non incensatur, sicuti nec Celebrans ob reverentiam Archiepiscopi.

23. Proceditur in Missa de more, in qua post *Sanctus* genuflectitur ab omnibus usque ad *Per omnia saecula saeculorum* ante *Pax Domini*: quod cum dicitur, Archiepiscopus surgit, surgentibus omnibus praeter Ceroferarios lumina tenentes, se signat et redit ad Sedem suam, exeuntibus interim Canonicis ad circulum.

24. Dicitur *Agnus Dei* ab Archiepiscopo cum Canonicis; et eodem tempore a Celebrante cum Ministris.

25. Datur pax per Presbyterum assistentem, et per Subdiaconum respective.

26. Sumpto Sanguine, discedunt Ceroferarii cum luminibus, et cantatur *Communio*.

27. Archiepiscopus sedet, sedentibus omnibus, et legit Communionem.

28. Diaconus, translato libro ad cornu Epistolae, deponit stolam latiorem, et resumit planetam plicatam.

29. Archiepiscopus ad Faldistorium, ut genuflectat ad Postcommunionem, genuflectentibus etiam omnibus usque ad finem illius orationis, quae dicitur super populum.

30. Diaconus in Ambone ante dictam orationem dicit versus populum: *Humiliate capita vestra Deo*, et omnes caput inclinant (1).
31. Archiepiscopus ad sedem; et tunc, et non prius Celebrans dicit: *Dominus vobiscum.*
32. Cruciferarius cum Cruce ad Archiepiscopum, et interim Celebrans dicit: *Placeat* etc. osculatur Altare, et se recipit cum Ministris ad cornu Epistolae.
33. Benedictio solemnis per Archiepiscopum.
34. Publicatio indulgentiarum per Celebrantem versus populum.
35. Celebrans, facta reverentia Cruci in medio cum Ministris, accedit ad cornu Evangelii, et ibi legit Evangelium S. Joannis.
36. Tandem cum debitis reverentiis redit cum Ministris ad Secretarium.
37. Archiepiscopus cum solito comitatu ad Archiepiscopium.

(1) *In Ecclesiis non habentibus Altare ad Orientem, Diaconus in secundo gradu Altaris vertit se ad populum, et dicit:* Humiliate etc.



TITULUS III.

DE FERIA TERTIA MAJORIS HEBDOMADÆ.

CAP. I.

De praeparandis.

In Secretario.

Omnia, quae in Feria II. praeter haec propria.

Tres stolae, tres manipuli coloris violacei, et tria Missalia pro Cantoribus Passionis.

In Ambone.

Tria pulvinaria pro eadem Passione.

In Choro.

Cussinus apud Sedem pontificalem pro genuflectendo ad verba expirationis Domini.

CAP. II.

De Missa Feriae III.

Omnia, ut heri, praeter ea, quae sequuntur.

1. Presbyter assistens accedit secunda vice ad Sedem post Collectas.
2. Non dicitur Tractus: nec Subdiaconus transfert librum post Epistolam pro Evangelio, sed tantum post absolutum cantum Passionis.
3. Passio, ut in Dominica palmarum per Mansionarios, quam Celebrans legit in cornu Epistolae, astantibus Ministris, ut ad Introitum.
4. Completa Passione, transit Celebrans ad cornu Evangelii pro legenda ea parte, quae in tono Evangelii cantanda est, astante sibi Subdiacono.
5. Archiepiscopus sedens, accedentibus Ministris, legit eamdem partem.
6. Interim Diaconus, deposita planeta plicata, cum stola latiori procedit ad Evangelium, ut in Dominica dictum est.



TITULUS IV.

CAP. UNICUM

De Missa Feriae IV.

Omnia; ut heri, praeter haec propria hujus diei.

1. Post *Kyrie* sequitur *Flectamus genua:* ad quod omnes, etiam Archiepiscopus (a) genuflectunt, solo excepto Celebrante.
2. Post primam orationem, per Mansionarium cantatur prima lectio in habitu chorali; qua finita ad Archiepiscopum pro osculo manus.
3. Archiepiscopus, dum a Choro cantatur Graduale, legit lectionem cum ipso Graduali.
4. Ad orationes, sive collectas post Graduale, Archiepiscopus, ut heri, ad Faldistorium, deinde ad sedem cum Presbytero assistente.
5. Epistola, Passio, et reliqua, ut heri.

(a) Caerem, Episc. lib. 2. cap. 28. n. 5.

TITULUS V.

DE MATUTINIS TENEBRARUM IN SERO FERIÆ IV. INCIPIENTIBUS.

—

CAP. I.

De Praeparandis pro Matutino Fer. V. in Coena Domini.

In Altari Majori.

1. *Altare remissius ornatum cum tapete, et pallio coloris violacei pro hac prima vice, in aliis nudum.*
2. *Crux in eo, velo violaceo cooperta pro prima, et secunda vice; et sex candelabra ex aurichalco cum cereis cerae communis.*
3. *Candelabrum triangulare a latere Epistolae cum quindecim candelis ejusdem qualitatis.*
4. *Instrumenta ad extinguendos, et accendendos cereos apta pro Altari, et triangulo.*
5. *Instrumentum ligneum pro tegenda ultima candela in cornu Epistolae Altaris.*
6. *Crotalum pro strepitu.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Tapetia strata pro hac prima vice.*
2. *Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis pro hac prima vice, in aliis nudum;* habebit tamen pulvinaria coloris violacei in Feria V, nigra vero in Feria VI.
3. *Sedes pontificalis cum solitis tegumentis violaceis in hoc primo Matutino: in aliis nuda.*
4. *Idem pro Canonicorum sedilibus servetur.*
5. *Legile nudum pro lectionibus.*
6. *Psalterium, seu Breviarium magnum, et bugia pro Archiepiscopo.*

CAP. II.

De peculiaribus ritibus in hoc Matutino Feriae V. in Coena Domini peragendis.

1. Sonus Campanarum festivus.
2. Accenduntur in fine Completorii cerei in Altari, et candelabro triangulari, incipiendo a superiori, et descendendo prius a parte Epistolae, et postea Evangelii: extinctis, et amotis candelis cum candelabris, quae accensa fuerant pro Completorio.
3. Canonici cum Mansionariis, et Clericis ad Archiepiscopium.

4. Archiepiscopus cum cappa ad Ecclesiam, et illi non praecedit Crux Archiepiscopalis (a) neque Mazzerius (b).
5. Archiepiscopus Ecclesiam ingrediens absque (c) aspersione aquae benedictae, cooperto capite cum caputio cappae explicatae, cujus caudam ipse sibi defert (in sinistro scilicet brachio) (d) accedit ad Sacellum sanctissimi Sacramenti.
6. Ibi, antequam genuflectat, dimittit caudam, et orat; quam iterum surgens resumit, adjuvante Caudatario, et procedit ante Altare majus, ubi iterum dimissa cauda orat.
7. Oratione facta coopertus, ut supra, et trahens per terram caudam cappae, accedit ad primam sedem chori, et sedet sedentibus omnibus.
8. Detecto capite omnes surgunt, et dicto *Pater Noster*, *Ave Maria et Credo*, Archiepiscopus cooperit sibi caput, et Cantores intonant, et prosequuntur: *Zelus domus tuae* etc. quod similiter faciunt in aliis Antiphonis.
9. Incepto primo Psalmo, Archiepiscopus, et alii sedent.
10. In fine Psalmorum extinguuntur alternatim candelae in triangulo, incipiendo ab inferiori ex parte Evangelii.

(a) Caerem. Episc. lib. 2. cap. 22. num. 3.
(b) Par. Crass. lib. 2. cap. 45.
(c) Caerem. Epis. hic. Brev. Praedicat.
(d) Par. Cras. ibid.

11. In responsione ad versiculum ante lectiones (a), Archiepiscopus, detecto capite, surgit, et dicto secreto *Pater noster*, iterum sedet.
12. Prophetiae dicuntur a Cantoribus, sive a Canonicis deputatis incipiendo a junioribus.
13. Proceditur eodem modo in secundo, et tertio Nocturno.
14. Lectiones per Canonicos a junioribus, ut supra.
15. Completo nono Responsorio, Cantores prosequuntur laudes ab Antiphona: *Justificeris*, nullo surgente, nisi cum incipitur canticum: *Benedictus*; ad quod Archiepiscopus, et omnes stant detecto capite.
16. In sex ultimis versiculis dicti Cantici, incipiendo ab illo: *Ut sine timore* etc. extinguuntur cerei Altaris eo ordine, quo de extinctione trianguli.
17. In ultimo ℣. extinguuntur alia luminaria per Ecclesiam, exceptis iis, quae in Altari SS. Sacramenti.
18. Dum repetitur Antiphona post *Benedictus*, omnes sedent, et ultima candela accensa in summitate trianguli sustinetur per Caeremoniarium super cornu Epistolae Altaris.
19. Circa finem Antiphonae praedictae Ar-

(a) Caerem. Ep. lib. 2, c. 22. Caer. Dom. l. 2. cap. 43.

chiepiscopus descendit adFaldistorium ante Altare, et genuflectit ad versiculum *Christus factus est* etc. (nisi velit genuflectere in genuflexorio chorali).
20. Interim candela accensa absconditur.
21. *Pater noster* secreto; deinde per Cantores Psalmus: *Miserere mei Deus* etc. alternatim cum Choro voce modulata, sed flebili.
22. Archiepiscopus in fine dicit *Respice* etc. qua terminata fit fragor.
23. Candela accensa profertur in medium, et restituitur in loco suo in capite trianguli (1).
24. Datur signum Salutationis Angelicae hoc vespere cum campana.
25. Omnes sub silentio recedunt.

(1) *Et tunc omnes cessare debent a fragore.* (Merati hoc loco.)



TITULUS VI.

DE FERIA V. IN COENA DOMINI.

CAP. I.

De Praeparandis pro omnibus Functionibus in hac Feria V. persolvendis.

In Secretario.

1. *Altare festive ornatum (1).*
2. *Crux in eo, velo violaceo tecta.*
3. *Paramenta missalia pretiosa albi coloris pro Archiepiscopo super illud videlicet:*
   1. *Gremiale, annulus pontificalis, mitra pretiosa, pelvicula argentea cum tribus spinulis, et Pallium Archiepiscopale in ea cum velo serico, planeta, chirotheca, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus, et superpelliceum, omnia velo serico violaceo cooperta.*
   2. *Pastorale a parte Epistolae prope Altare (2).*

(1) *Cum sex candelabris cum candelis.*
(2) *Et velum pro eo deferendo.*

4. *Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis ante Altare pro Nona.*
5. *Pulvinum item violaceum, et deinde album in sede pontificali.*
6. *Tria scabella pro assistentibus ibidem.*
7. *Duo alia scabella prope Altare pro Diacono, et Subdiacono.*
8. *Sedilia octo pro Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis hinc inde in fine Secretarii, ita locata, ut sedentes respiciant Altare (1).*
9. *Duo alia hinc inde pro octo paratis pro hastis in parte interiori Secretarii ante sedilia Canonicorum, ita ut sedentes respiciant se invicem.*
10. *Alia sedilia pro Mansionariis in suppedaneis armariorum (2).*

In Abaco, seu credentia ejusdem Secretarii.

1. *Liber Canonis, et bugia.*
2. *Sandalia albi coloris cum velo humerali violaceo.*
3. *Argentea vasa deaurata ad abluendas manus, et mantilia pro gremio, et abstersione earumdem.*
4. *Duo manipuli albi coloris pro Diacono, et Subdiacono.*
5. *Missale cum tegumento albo et manipulo Archiepiscopi.*

(1) *Vel se invicem, si structura Secretarii id exposcat.*
(2) *11. Foculus cum igne et forcipe.*

6. *Thuribulum cum navicula.*
7. *Duo candelabra cum cereis.*
8. *Pontificale pro Cantoribus in delatione Chrismatis etc.*

(1) **In Aula minori paramentorum.**

1. *Paramenta albi coloris pro Diacono, et Subdiacono, exceptis manipulis.*
2. *Quatuor pluvialia pro Ministris, et tunicella pro Crucifero.*
3. *Abacus seu credentia cum mantili, et duobus candelabris cum cereis pro Oleis Sanctis.*
4. *Tres ampullae oleorum, scilicet Chrismatis cum serica veste alba, Catechumenorum cum serica veste viridi, et Infirmorum cum serica veste violacea.*
5. *Tres marmoreae bases eorumdem.*
6. *Mappulae lineae duae.*
7. *Bacile argenteum cum vasculo balsami, et alio vasculo argenteo pro mixtione cum duabus spatulis item argenteis et bombacio. Omnia supradicta num. 4. etc. in principio Missae disponuntur super Altare Secretarii.*
8. *Intorticia pro elevatione Missae, et cerei pro processione.*

(1) *Si haec aula desit, omnia quae sequuntur, parantur in eodem Secretario, et in loco congruo.*

In Aula majori paramentorum

1. *Omnia paramenta albi coloris pro Dignitatibus, et Canonicis in Secretario vestiendis.*
2. *Octo pluvialia pro Presbyteris hastas baldacchini deferentibus.*
3. *Duodecim planetae, septem dalmaticae, septem tunicellae cum undeviginti stolis, et viginti sex manipulis ejusdem coloris pro Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis in benedictione Chrismatis, et sacrorum Oleorum (1).*
4. *Dalmatica, stola, et tunicella albi coloris pro Diacono, et Subdiacono in Mandato ministraturis, exceptis manipulis.*

In Altari Majori.

1. *Altare solemniter ornatum cum vasis florum et ostensoriis Sacrarum Reliquiarum tantum inter septem candelabra argentea.*
2. *Crux in eo, velo albo tecta, et desuper violaceo, removendo, dum in Secretario paratur Archiepiscopus.*
3. *Duo alia candelabra pro Horis minoribus.*
4. *Pallia duplicia violacei coloris pro iisdem Horis, et albi pro Missa.*
5. *Tegumenta serica pro Epistola, et Evangelio in Ambone (2).*
6. *Duo scabella pro Diacono, et Subdiacono prope Altare a parte Epistolae.*

(1) *Cum viginti sex albis cingulis et amictibus.*
(2) *Vel in legili, si deest ambo.*

7. *Ligneus pes pro sustinenda Cruce Archiepiscopali violaceo velo cooperta a latere Evangelii, cum alio scabello pro Crucifer ario.*
8. *Pulvinar album pro Archiepiscopo accedente ad Altare post consecrationem.*
9. *Crux Capituli velo violaceo cooperta pro processione.*

In Abaco, seu credentia Altaris majoris.

1. *Epistolarium, et Evangeliarium.*
2. *Aliud thuribulum.*
3. *Argentea vasa deaurata, praeter alia, ad abluendas manus cum medulla panis, et mantilia pro gremio, et abstersione manuum.*
4. *Legile argenteum cum canone.*
5. *Velum humerale album pro Subdiacono in delatione calicis tantum.*
6. *Pyxis cum particulis.*
7. *Tres calices, primus pro Archiepiscopo cum suis annexis, et tribus hostiis; secundus, reponendus in capsula Sacelli sive sepulchro cum palla, patena, velo pulchro albo (1); tertius cum purificatorio pro ablutione, et abstersione digitorum Archiepiscopi.*
8. *Vasa pro praegustatione, et ampullae vini et aquae.*
9. *Rituale Romanum pro confessione ante communionem.*
10. *Velum oblongum, et stolae albae pro communione Cleri.*

(1) *Et vitta serica ad firmandum velum.*

11. *Schedulae num. tredecim pro pauperibus in Missa communicandis.*
12. *Vas pro purificatione Communicantium, et mappula linea.*
13. *Mitra auriphrygiata.*
14. *Pluviale album, pectorale, et velum humerale pro Archiepiscopo.*
15. *Stola, pluviale violaceum, et mitra simplex, pro eodem.*
16. *Velum humerale violaceum, pro Cappellano deferente sandalia.*
17. *Tabella casuum bullae in Coena Domini, et Archiepiscopo reservatorum.*
18. *Candela ex cera communi, et pontificale pro anathemate.*
19. *Crotalum pro signo salutationis Angelicae.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Genuflexorium cum pulvinaribus violaceis, durantibus horis minoribus.*
2. *Suppedaneum cum ligneo gradu adjungendum gradibus Chori pro Mensa Oleorum coopertum tapetibus simul cum toto Presbyterio.*
3. *Lignea mensa flexilis pro Oleis sanctis cum tapete, mantili magno, tribus marmoreis basibus, legili, et Pontificali.*
4. *Faldistorium argenteum cum veste nobiliori, et pulvinari albi coloris.*
5. *Tria scabella pro Canonicis assistentibus.*
6. *Sedilia in Choro hinc inde pro Diaconis, et Subdiaconis oleorum confectioni inservientibus.*

7. *Alia sedilia hinc inde in Presbyterio pro octo pluviali paratis hastas baldacchini delaturis.*
8. *Duplices vestes cum suis pulvinaribus in sede Chorali Archiepiscopi pro Horis minoribus, et Missa.*
9. *Alterum Faldistorium ex aurichalco nudum cum duobus pulvinaribus violaceis post denudationem Altaris.*
10. *Legile cum graduali, et pontificali pro Schola prope cancellos Presbyterii a latere evangelii retro sedile hastas baldacchini deferentium.*
11. *Liber cum Ant. et Psal. pro denudatione Altaris.*
12. *Baldacchinum processionale album extra cancellos Ambonis (1).*

In Sacello parato pro repositione Sacramenti.

1. *Corporale stratum intra capsulam.*
2. *Pulvinar album ante Altare.*
3. *Tabella pro indulgentiis.*
4. *Tabella horaria pro Confratribus SS. Sacramenti facturis vigilias ante Sanctissimum.*
5. *Scabellum graduatum pro repositione calicis.*

(1) *Vel prope gradus Presbyterii suo tempore collocandum.*

In Aula Archiepiscopii pro Mandato.

1. Sedes Archiepiscopi in capite Aulae tecta violaceis cum tapete substrato.
2. Sedilia Canonicorum a dextris pannis contecta.
3. Sedilia altiora ornata pro pauperibus a sinistris, et super tapete ante ea tredecim pulvinaria violacea, et pelves.
4. Pes ligneus pro Cruce Archiepiscopali in medio areae cum scabello pro Crucifero.
5. Abacus, seu mensa vasis argenteis cum floribus nobiliter ornata contra sedem Archiepiscopi in medio Aulae, et super eam:
  1. Duo candelabra cum cereis ardentibus.
  2. Paramenta Pontificalia videlicet, mitra simplex, pastorale, pectorale, pluviale, stola, Crux pectoralis, et cingulus violacei coloris, alba, amictus; omnia velo violaceo cooperta.
  3. Duo manipuli albi coloris pro Diacono et Subdiacono.
  4. Evangeliarium pro evangelio, et missale cum tegumento violaceo pro Archiepiscopo, et bugia.
  5. Thuribulum cum navicula.
  6. Gremiale lineum cum cordulis pro gremio Archiepiscopi.
  7. Urcei argentei plures cum aqua calida.
  8. Argenteae lances cum tredecim mappulis ad abstergendos pedes pauperum.
  9. Argentea vasa ad abluendas manus Archiepiscopi cum medulla panis et mantilia pro gremio et abstersione manuum.

6. *Duo scabella prope abacum pro Diacono, et Subdiacono, versa facie ad sedem Archiepiscopi.*
7. *Duo legilia, unum coopertum tegumento serico albo pro Evangelio a dextris Crucis Archiepiscopalis, alterum nudum pro Schola a sinistris sedis.*
8. *Liber cum Antiphonis, Versiculis, et Psalmis pro Cantoribus.*
9. *Tandem pro Coena paratur mensa cum sedilibus, et pulpitum cum suo Scabello graduato pro concionatore.*

CAP. II.

De sacris ritibus Feriae V. in Coena Domini peragendis.

§. I.

De Horis minoribus usque ad Nonam inclusive.

1. Sonus festivus campanarum summo mane pro Officio.
2. Dicuntur Horae minores demissa voce, ac sine cantu usque ad *Nonam* exclusive: ad quas duae candelae accenduntur super Altare.
3. Archiepiscopus cum cappa solito comitatu, praecedente Cruce, et Mazzerio, ad Ecclesiam: et omissa aspersione aquae benedictae, procedit ad orationem ante Sanctissimum, et inde ad Secretarium.

4. Archiepiscopus in Secretario orat in Faldistorio ante Altare (in quo prius accensae sint candelae), orantibus omnibus in propriis locis.
5. Archiepiscopus ascendit solus ad sedem suam, et sedet sedentibus omnibus.
6. Mox surgunt omnes: dicitur secreto *Pater*, et *Ave:* et interim Cappellanus, et Acolythi ad abacum pro sandaliis.
7. Chorus incipit, et prosequitur Nonam productius solito.
8. Archiepiscopus sedet, et statim sine mora accedentibus duobus solitis Diaconis cum Presbytero; et Ministris, legit Psalmos consuetos pro praeparatione sine *Gloria*, Choro interim sedente.
9. Accipit sandalia albi coloris per Cappellanum cum velo humerali violaceo.
10. Completis ab Archiepiscopo Psalmis, et Orationibus, recedunt Diaconi cum Presbytero ad propria loca.
11. In fine Nonae Archiepiscopus ad Faldistorium, trahens sibi caudam Cappae explicatae, ubi genuflectit ad versiculum: *Christus factus est* etc. Psal. *Miserere* etc. et ad orationem, quam ipse dicit: ac tandem redit ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero.

(*Si reconciliandi essent publice poenitentes, in Feria IV. Cinerum solemniter expulsi* (ut accidit hoc anno 1706.), *Archiepiscopus, deposita cappa, lotisque manibus, hic pro eorumdem reconciliatione, una cum Mi-*

nistris, ut in Pontifical. violacea paramenta desumeret, ac omnia in Cap. III. hujus Titul. praescripta servaret.)

§. II.

De agendis in Secretario post Nonam usque ad accessum ad Altare.

1. Pulsantur organa; removetur Faldistorium: et Diaconus, ac Subdiaconus ex Aula minori paramentorum in Secretarium ad propria scabella.
2. Archiepiscopus exuitur cappa, et lavat manus.
3. Recedentibus Diaconis cum Presbytero, Diaconus, et Subdiaconus parati ad Archiepiscopum, sequentibus Acolythis cum paramentis missalibus Archiepiscopi.
4. Archiepiscopus sumit paramenta Missalia, et Canonici pariter sua, et Mitras in propriis locis.
5. Ministri de pastorali, mitra, libro et bugia cum Cruciferario idem faciunt in Aula minori paramentorum: Octo vero pro hastis baldacchini, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septemque Subdiaconi in Aula Majori paramentorum. (*Advertat autem Caeremoniarius, ut Archiepiscopus non vestiatur, nisi omnes in suo ministerio existant.*)
6. Interim amovetur velum violaceum a Cruce Altaris Majoris, remanente albo.

Item pallium violaceum ejusdem Altaris, remanente similiter albo.
Item vestes Sedis Choralis, et pulvinaria violacea, appositis festivis.

7. Paratis Canonicis, ministri, et Cruciferarius item parati ex aula minori paramentorum in Secretarium.

8. Immediate omnes parati pro Oleis Sacris, et pro hastis baldacchini ex Aula majori ad Secretarium hoc ordine:
   1. Duo Acolythi.
   2. Caeremoniarius.
   3. Quatuor juniores Subdiaconi bini incedentes.
   4. Tres alii Subdiaconi seniores subsequentes.
   5. Quatuor juniores Diaconi bini incedentes.
   6. Tres alii Diaconi seniores subsequentes.
   7. Duodecim Presbyteri bini incedentes.
   8. Octo tandem cum pluvialibus bini subsequentes.

   (*Si octo isti non fuerint Canonici Collegiatarum ibunt eodem ordine post Caeremoniarium.*)

9. In Secretario quisque ex supradictis suum petit locum hac methodo:
   1. Duo Acolythi, facta in medio Secretarii genuflexione Altari, et Archiepiscopo, se recipiunt inter Acolythos.
   2. Caeremoniarius, factis genuflexionibus in ingressu Secretarii inter sedilia, se retrahit pro directione sequentium.

3. Primi duo Subdiaconi juniores, cum pervenerint inter duo ultima sedilia hinc inde prope januam disposita, unitim genuflectunt Altari, et Archiepiscopo: deinde, qui ad dexteram incedebat, transiens ante sinistrum, se collocat in ultimo loco sedilis supradicti, positi a latere dextero (idest e regione Evangelii) in loco scilicet, qui primo occurrit ingredenti; sinister vero cedens locum dextero se recipit similiter in ultimo loco alterius sedilis a parte Epistolae. Idem faciunt duo alii priores Subdiaconi sequentes collocantes se in iisdem sedilibus supra primos.
4. Tres autem Subdiaconi seniores, post factam simul genuflexionem Altari, et Archiepiscopo sic se recipiunt ad loca sua. Qui erat medius, et qui incedebat a dexteris transeunt unus post alium ante sinistrum, et accedunt ad sedile lateris Evangelii, ita ut medius sistat se in capite sedilis, alter infra illum, et supra secundum: sinister vero (ut supra de primis dictum est) incedit ad alterum sedile in capite ejus supra secundum.
5. Quatuor juniores Diaconi inter duo sedilia ante Subdiaconos idem omnino faciunt, quod de primis quatuor Subdiaconis dictum est supra n. 3.
6. Tres Diaconi seniores pariter servant ea, quae tribus Subdiaconis praescripta sunt supra n. 4.

7. Duodecim Presbyteri: Ex his sex juniores inter sedilia ante Diaconos, bini faciunt id, quod de primis quatuor Subdiaconis diximus num. 3., sex alii seniores Presbyteri idem praestant inter duo prima sedilia ante dictos sex Presbyteros juniores locata.
8. Octo tandem pluvialibus induti, bini accedunt ad medium Secretarii, et ibi genuflectunt Altari, et Archiepiscopo. Inde, qui a dextris incesserat, transiens ante sinistrum, procedit ad ultimum locum sedilis destinati a parte Evangelii. Sinister autem cedens locum dextro, se recipit ad ultimum pariter locum alterius sedilis a parte Epistolae. Sic faciunt reliqui, ita ut seniores sint in primo loco, scilicet proximiores Altari.
10. Parato Archiepiscopo usque ad Mitram, Diaconi, cum Presbytero ad illum.
11. Diaconus, et Subdiaconus ad propria loca pro manipulis.
12. Archiepiscopus accipit annulum, et ministrat incensum.
13. Proceditur ad Missam ordine infrascripto:
1. Caeremoniarius.
2. Clerici omnes ordine eorum.
3. Mansionarii.
4. Mäzzerius, sive Claviger cum Clava Cardinalitia erecta.
5. Thuriferarius.

6. Cruciferarius paratus cum Cruce velo (1) violaceo tecta (a) inter Ceroferarios.
7. Septem Subdiaconi.
8. Septem Diaconi.
9. Duodecim Presbyteri.
10. Octo parati cum pluvialibus.
11. Canonici Metropolitanae ordine eorum.
12. Subdiaconus Epistolae cum libro, et manipulo.
13. Presbyter Assistens cum Diacono ad sinistram.
14. Minister paratus cum pastorali, si hoc non deferat Archiepiscopus.
15. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes.
16. Ministri de Mitra, libro, et bugia pluvialibus induti.
17. Vicarius Generalis, et Protonotarii, si adsint.

14. Hac autem methodo exibunt e Secretario:
1. Caeremoniarius (*prius omnibus pro processione dispositis*), in medio Secretarii facta genuflexione Altari, et Archiepiscopo, praecedit alios.
2. Clerici bini, a junioribus incipiendo, factis similiter genuflexionibus, aequali distantia, et incessu sequuntur.

(1) (S. R. C. 20 Decembr. 1783. Lusitana.)
(a) Gav. hic. num. 9. lit. i.

3. Mansionarii e locis suis hinc inde exeuntes bini cum debitis genuflexionibus procedunt.
4. Mazzerius e credentia ad medium Secretarii.
5. Thuriferarius etiam in medio ante illum.
6. Cruciferarius inter Ceroferarios ante Thuriferarium.

Qui omnes quinque eodem tempore, et motu genuflectunt Altari, et Archiepiscopo, et per latus dexterum se convertunt, et procedunt.

7. Septem Subdiaconi ita exeunt, ut duo juniores statim egressi e sedili, genuflectant Altari, et Archiepiscopo; deinde vertentes sibi invicem facies, uniant se, et procedant: similiter alii duo juniores. Tres vero seniores ita se gerunt, ut duo illi, qui debent incedere a dextris, et a sinistris medii, primo exeant, et se sistant in fronte suorum sedilium, et omnium seniore egresso in medium, omnes tres genuflectant ut supra, et vertentes se ita, ut duo laterales se invicem respiciant, medius vero per suum humerum dexterum, procedant post alios.
8. Septem Diaconi idem praestant.
9. Duodecim Presbyteri idem servant bini, primo sex juniores, postea sex seniores.
10. Octo cum pluvialibus, incipiendo a junioribus, postquam bini aliquantulum

ab eorum loco recesserint versus medium, genuflectunt, vertunt facies, se uniunt, et procedunt ut supra.

11. Canonici Metropolitanae, Subdiaconi, et Diaconi bini, aut terni in fine, si eorum numerus sit impar, e locis suis ad medium, et factis reverentiis Altari, et Archiepiscopo subsequuntur, mitras sibi imponentes in progrediendo (1). Presbyteri eodem modo exeunt, et procedunt, et sic dignitates post illos.

12. Subdiaconus Epistolae solus facta reverentia Altari, et Archiepiscopo, imposita sibi Mitra, accipit a Caeremoniario librum cum manipulo incluso, et progreditur.

13. Presbyter assistens cum Diacono Evangelii post debitas reverentias mitras sibi imponunt, et sequuntur Subdiaconum.

14. Minister de pastorali praecedit Archiepiscopum.

15. Archiepiscopus cum Mitra reveretur Altare; Diaconi vero assistentes sine Mitris, quas immediate sibi imponunt.

16. Ministri parati subsequuntur.

17. Ultimi omnium Vicarius Generalis, et Protonotarii.

15. In Presbyterio et Choro omnes se componunt in propriis locis, videlicet:

(1) *Si Canonici non habeant usum Mitrae, imponunt sibi biretum, ratione paramentorum.*

1. Caeremoniarius in parte, ubi reliquos bene disponat.
2. Clerici se distribuunt partim circa cancellos Presbyterii hinc inde, partim ad gradus Sedis Pontificalis.
3. Mansionarii apud legile praeparatum ad cancellos Presbyterii.
4. Mazzerius, Thuriferarius, et Ceroferarii ad Credentiam.
5. Cruciferarius cum Cruce ad locum suum.
6. Septem Subdiaconi, primi duo post genuflexionem Altari in Presbyterio, vertentes se alter ad alterum ascendunt in Chorum, dexter ad dexteram, sinister ad sinistram partem ejusdem Chori, et se sistunt in inferiori loco sedilium pro iis depositorum. Idem praestant duo alii subsequentes locantes se super primos. Tres autem ultimi, facta in Presbyterio genuflexione Altari, vertunt se duo laterales alter ad alterum, medius versus sinistrum, et in Choro se collocant duo laterales supra praecedentes, medius vero supra dictum suum lateralem sinistrum.
7. Septem Diaconi eodem modo, et ordine, quod de Subdiaconis diximus, ad loca sua supra Subdiaconos accedunt, cum hoc tamen quod senior medius post genuflexionem vertit se versus dexterum suum collateralem, et procedens se sistit super ipsum in primo sedilis

loco, idest, qui est Archiepiscopali sedi proximior.

8. Duodecim Presbyteri bini eadem methodo accedunt ad loca sua in sedilibus inferioribus fixis Chori, ita ut inferiores sint proximiores Altari, seniores sedi Archiepiscopali.
9. Octo cum pluvialibus post Crucis genuflexionem se recipiunt ad sua sedilia in Presbyterio hinc inde; ita ut, qui incedebat ad dexteram, transiens ante sinistrum sistat se in sedili in cornu Evangelii in ultimo loco, scil. remotiore ab Altari, sinister similiter in ultimo loco sedilis in cornu Epistolae, et sic de reliquis usque ad seniores, quorum locus erit, qui proximior est Altari.
10. Canonici, depositis ante Altare mitris, et facta Cruci reverentia, in Choro in suis stallis.
11. Subdiaconus Epistolae ingressus Presbyterium tradito libro Caeremoniario, deponit mitram, et adimplet, ut alias, officium suum.
12. Presbyter assistens, et Diaconus pariter mitras ingressi Presbyterium deponunt, et ad officium suum.
13. Idem praestabunt Diaconi assistentes, et Ministri parati pluvialibus.
14. Vicarius Generalis, et Protonotarii in Choro.

§. III.

De Missa usque ad Benedictionem Olei Infirmorum exclusive.

1. Archiepiscopus ante Altare, deposita mitra, facit Confessionem (*relicto Ps. Iudica* etc.) ad quam omnes genuflectunt, exceptis Canonicis cum Praelatis, et aliis paratis (a).
2. Hi omnes pariter confessionem faciunt ad invicem, sicut etiam suo tempore dicunt: *Kyrie*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus et Agnus.*
3. Archiepiscopus prosequitur Missam more solito usque ad *Per quem haec omnia Domine* etc. exclusive, his tantum exceptis:
   1. Ad *Gloria in Excelsis* pulsantur campanae, et postea silent campanae, et organa usque ad *Gloria* Sabbati sancti:
   2. Duae hostiae et particulae in pyxide offeruntur consecrandae.
   3. Patena non traditur Subdiacono.
   4. In thurificatione oblatorum, et Altaris Subdiaconus cum Diacono planetam elevant.
   5. Ministri parati pro hastis, et sacris Oleis incensantur duplici ductu, vel omnes simul, prout tempus feret.

(a) Caer. Ep. l. 2. cap. 8. Gavant. p. 1. lit. 17. n. 5. lit. 5. Bauld. p. 5. l. 2. c. 8. art. 2. n. 11.

6. Crotalum non pulsatur neque ad *Sanctus*, neque (a) ad Elevationem.
7. Subdiaconus incensat in Elevatione Sanctissimum (b) (1).

§. IV.

De benedictione Olei infirmorum.

1. Cum Archiepiscopus post Offertorium de Sede ad Altare accesserit, collocatur, et aptatur lignea mensa pro Oleis super suppedaneo ligneo adjuncto gradibus Chori, et super ea extenditur tapes cum mantili, et apponantur tres bases marmoreae, legile, cum Pontificali, et pelvicula argentea.

(2) Item apud illam mensam in parte Chori interiore Faldistorium argenteum cum tribus scabellis pro Assistentibus.

2. Dicto: *Nobis quoque peccatoribus*, Caeremoniarius defert e credentia ad Altare

(a) Bauld. et Bissus hac die.

(b) Gavant. par. 2. tit. 13. num. 2. lit. a.

(1) *Octo Acolythi, sustinentes funalia ad Elevationem, remanent genuflexi usque ad Processionem* (Bauldry Par. 4. cap. 9. Art. 2. n. 6., Merati Part. 4. Tit. 8. n. 5.).

(2) *Item apud illam mensam e regione Altaris, et prope gradus Presbyterii Faldistorium apponitur cum tribus scabellis pro assistentibus in Ecclesiis non habentibus Altare ad Orientem.*

calicem vacuum cum purificatorio pro ablutione digitorum Archiepiscopi, et Acolythus ampullam cum patera.

3. Archiepiscopus, antequam dicat: *Per quem haec omnia* etc., facta genuflexione, abluit in cornu Epistolae digitos supra dictum calicem, ministrantibus Subdiacono ampullam, et Diacono purificatorium.
4. Facta iterum genuflexione in medio, descendit primum gradum Altaris *(scilicet Suppedaneum)* et ibidem *(idest in secundo gradu)* accepta per Diaconum, et Subdiaconum mitra auriphrygiata, procedit ad mensam cum Archidiacono, et duobus Diaconis (1).
5. Interim Diaconus, et Subdiaconus, stantes ad latera Altaris hinc inde super secundo gradu, remanent Sacramentum custodientes.
6. Archiepiscopus sedet, sedentibus omnibus.
7. Archidiaconus stans dicit alta voce in tono lectionis: *Oleum infirmorum*, et sedet.
8. Unus ex septem Subdiaconis paratis cum duobus Acolythis, et Caeremoniario, fa-

(1) *Archiepiscopo ad mensam procedente pro benedictione Olei infirmorum, surgunt Acolythi funalia deferentes, et formantes duo cornua, quatuor utrinque vadunt ante infimum gradum lateris Epistolae et Evangelii respective, ibique genuflexi manent, durante benedictione, qua peracta redeunt ad loca sua, ut prius, et in Communione substituuntur ab aliis, ut communicent.*

cta genuflexione Archiepiscopo et Altari, ad Secretarium.

9. Subdiaconus ibi accipit mappulam lineam, super quam, e collo pendentem, firmat ampullam Olei coopertam veste violacea serica, quam ampullam ipse in sinistro brachio sustinet, et extremitate mappulae a dextris pendente dextero brachio circumdat, et involvit, et cooperit, ita tamen, ut a medio sursum videri possit.

10. Idem in Presbyterium, ubi cum Acolythis associantibus facit genuflexionem Sacramento, inde ante mensam Archiepiscopo, ascendit, et tradit Archidiacono ampullam dicens plane: *Oleum infirmorum*, retenta mappula circa collum; deinde descendit, genuflectit Archiepiscopo, et per breviorem se retrahit post Archidiaconum.

11. Archidiaconus eamdem ampullam accipit, et praesentat Archiepiscopo, dicens pariter plane: *Oleum infirmorum*; et collocat in mensa coram eo super base marmorea.

12. Removetur operculum ex ampulla per Caeremoniarium, et Archiepiscopus stans cum mitra dicit intelligibili voce: *Exorcizo te* etc.

13. Deposita mitra, stans dicit eadem voce: *Dominus vobiscum*, et Orationem: *Emitte, quaesumus, Domine* etc. qua dicta, sedet cum mitra.

14. Cooperitur ampulla, et Archidiaconus

eamdem reddit Subdiacono praedicto, qui solito comitatu, et debitis genuflexionibus reportat eam in Secretarium; ac inde redit ad proprium locum in Choro.

15. Archiepiscopus lavat manus, et accedit ante Altare cum mitra.

§. V.

De prosequutione Missae usque ad Communionem Cleri inclusive.

1. Archiepiscopus ante gradus Altaris deponit mitram, et facta genuflexione super pulvino in plano, ascendit ad Altare, et sine alia genuflexione prosequitur Missam a verbis illis: *Per quem haec omnia* etc.
2. Dicitur: *Agnus Dei*; et in tertio dicitur: *Dona nobis pacem* de more cum tribus consuetis orationibus, non tamen datur osculum pacis.
3. Paulo ante communionem Archiepiscopi, Caeremoniarius (a) portat ex abaco ad Altare calicem vacuum cum palla, patena, et velo albi coloris.
4. Sumpto Sanguine, et cooperto per Diaconum calice Missae, ac aliquantulum versus cornu Epistolae collocato, Archiepiscopus cum Diacono genuflectit, sicut et Subdiaconus in suo loco.

(a) Bauldry, Gavant. Merati, et Caerem. Episc. hac die.

5. Surgunt, et Archiepiscopus alteram hostiam consecratam reponit in Calice, ut supra delato, quem prius detectum Diaconus sustinet, ac postea collocans eum super Altari in medio corporalis, cooperit palla, et patena inversa, et velum desuper expandit, et genuflectit, sicut Archiepiscopus cum Subdiacono.
6. Surgunt, et Diaconus accipit Pyxidem, quae erat post Calicem, et ponit ante eumdem Calicem, et discooperit.
7. Tunc iterum omnes genuflectunt, et Diaconus, et Subdiaconus paululum se retrahentes, iterum super primo gradu genuflectunt, ut (a) communicent, et Archiepiscopus accipit Pyxidem, vertit se ad illos, et praebet eis Sanctissimam Communionem dicens: *Corpus Domini nostri* etc. qui osculantur manum Archiepiscopi, sed non faciem (b), supponentibus interim velum Acolythis.
8. Archiepiscopus vertit se ad Altare, et collocat Pyxidem super illud, quam patena cooperit, et interim Diaconus et Subdiaconus vadunt in plano Epistolae pro sumenda purificatione: Acolythi vero, amoto velo, genuflectunt hinc inde in plano Presbyterii.

(a) Caerem. Ep. lib. 2. cap. 29.
(b) Idem Caerem. Ep. lib. 2. cap. 22. §. 6.

§. VI.

De Communione Cleri.

1. Archiepiscopus genuflectit, et se retrahit ad cornu Evangelii, versa facie ad cornu Epistolae.
2. Diaconus, sumpta purificatione, remanet ibi in plano in eodem cornu Epistolae, et Subdiaconus transit ad cornu Evangelii post Archiepiscopum, facta prius in medio debita genuflexione.
3. Omnibus communicandis in suis locis genuflexis, Diaconus inclinatus versus Archiepiscopum cantat Confessionem consuetam.
4. Archiepiscopus voce intelligibili subdit: *Misereatur vestri* etc. *et Indulgentiam* etc.
5. Iterum vertit se Archiepiscopus ad Altare, ad cujus sinistram ascendit Diaconus, ad dexteram vero Subdiaconus per breviorem, omnesque simul tunc, et non prius genuflectunt Sanctissimo Sacramento.
6. Postea Diaconus accipit Pyxidem patena coopertam, et vertit se per humerum dexterum versus Communicandos; Archiepiscopus vero cum Subdiacono per humerum sinistrum, ita ut Diaconus cum Pyxide sit ad dexteram Archiepiscopi, a sinistris Subdiaconus.
7. Subdiaconus amovet patenam a Pyxi-

de, (a) supponendam manui Archiepiscopi in actuali distributione Sacramenti.

8. Archiepiscopus accepta una ex particulis consecratis, et tenens eam aliquantulum elevatam super Pyxidem, dicit de more: *Ecce Agnus Dei* etc. et procedit ad communionem.

9. Interim accedunt Communicandi hoc ordine, vocante caeremoniarum Magistro:
   1. Praelati, si adsint, cum superpelliceo super rocchettum, et stola, si sint Sacerdotes, aut Diaconi.
   2. Canonici omnes ordine eorum, inter quos Presbyter, et Diaconi assistentes.
   3. Vicarius generalis, et Protonotarii cum superpelliceis, et stolis, ut n. 1.
   4. Ministri ex Mansionariis parati cum pluvialibus.
   5. Octo cum pluvialibus parati, si fuerint Canonici Collegiatarum, sin minus post omnes paratos.
   6. Duodecim Presbyteri, septem Diaconi, Cruciferarius paratus, et septem Subdiaconi.
   7. Mansionarii cum cappis, adhibitis stolis, si sint Sacerdotes, aut Diaconi.
   8. Alii de Clero, servato sui ordinis gradu.
   10. Tredecim Pauperes extra cancellos, quibus communicatis traditur schedula.

10. Hi autem omnes bini, praemissa genuflexione in plano, ascendunt superiorem

(a) Paris Crass. lib. 2. cap. 49.

Altaris gradum, et communicant cum osculo manus tantum, velo ut supra supposito per Acolythos.

(Attenta vero multitudine, poterunt omnes a num. 4. usque ad 9. inclusive descripti, communicare dispositi in gyrum in medio Presbyterii.)

11. Communicati, repetita genuflexione in plano, accedunt ad cornu Epistolae pro purificatione, quam ministrat Subdiaconus paratus paratis, aliis vero Cappellanus in Sacris constitutus.

12. Sumpta purificatione, bini redeunt per idem latus ad loca propria.

13. Archiepiscopus, communicatis Pauperibus, redit ad Altare, ubi se purificat, abluit digitos, (1) sumit ablutionem, et etiam ex altero calice primam digitorum ablutionem cum debitis genuflexionibus in recessu de medio, ac accessu.

14. Tandem Sacramentum adorat in medio, et descendit suppedaneum in secundo gradu Altaris, accipit mitram, et procedit ad mensam cum supradictis Ministris, Diacono, et Subdiacono remanentibus hinc inde apud Altare, uti supra n.9.

(1) *Infuso tunc vino in suo Calice.* Catalan. Tom. II. §. 7. num. 1., *quem postea Subdiaconus extergit more solito.*

§. VII.

De confectione, et benedictione Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum.

1. Archiepiscopus juxta mensam sedet cum Archidiacono, et Diaconis assistentibus, sedentibus pariter omnibus.
2. Archidiaconus alta voce in tono lectionis, stans, dicit: *Oleum ad sanctum Chrisma*, et successive: *Oleum Catechumenorum.*
3. Archiepiscopus imponit et benedicit incensum more solito, et Thuriferarius accedit ad crucem Archiepiscopalem, quod et faciunt Ceroferarii.
4. Dirigitur processio ad Secretarium ordine sequenti:
   1. Caeremoniarius.
   2. Thuriferarius.
   3. Cruciferarius cum Cruce, et Acolythi cum cereis.
   4. Duo Cantores.
   5. Septem Subdiaconi.
   6. Septem Diaconi.
   7. Duodecim Presbyteri.
5. Hi omnes, factis prius genuflexionibus Archiepiscopo, et Sanctissimo Sacramento, se conferunt in Secretarium per breviorem viam, ubi ita se disponunt hinc inde, ut Crux, et juniores sint prope Januam, seniores prope Altare, et dexteri se collocent in parte Evangelii, sinistri in parte Epstolae.

6. Unus e Subdiaconis accipit ex Altari Secretarii bacile cum vasculo balsami, spatulis, altero vasculo pro mixtione etc. Duo Diaconi imponunt collis suis mappulas et accipiunt ampullas Oleorum Chrismatis, et Cathecumenorum cum tegumentis suis eo modo, quo supra de Oleo infirmorum §. IV. n. 9.
7. Regreditur processio per longiorem viam ad Altare majus, videlicet per navem lateralem e regione Secretarii usque ad medium Ecclesiae, deinde per navem mediam et ambonem, hoc ordine:
   1. Thuriferarius.
   2. Cruciferarius cum Cruce, et Acolythi cum cereis.
   3. Cantores cantantes: *O Redemptor*, Choro respondente.
   4. Sex Subdiaconi.
   5. Quinque Diaconi.
   6. Magister Caeremoniarum.
   7. Subdiaconus cum Vasculo balsami in bacili ut supra etc.
   8. Diaconus cum ampulla chrismali a dextris, et alius Diaconus cum alia Catechumenorum a sinistris.
   9. Duodecim Presbyteri bini.
8. (1) Thuriferarius, Cruciferarius, et Aco-

(1) Si Ecclesia non habeat Altare ad Orientem, sed e conspectu populi, tunc observantur ea quae sequuntur a num. 8. ad num. 14.
8. Thuriferarius, Cruciferarius, et Acolythi cum

lythi cum cereis ascendentes ambonem, ac per latus Evangelii ingredientes Presbyterium, procedunt cum debitis genu-

cereis ascendendo versus latus Epistolae ingredientes Presbyterium, procedunt cum debitis genuflexionibus ad cornu Evangelii, situantes se juxta idem cornu, ita ut inter se et Altare pateat locus sex Presbyteris.

9. Cantores ingrediuntur simul per latus Evangelii, et post debitas genuflexiones Altari et Archiepiscopo se recipiunt prope Abacum, vel in propriis sedibus.

10. Sex Subdiaconi, cum bini pervenerint ad infimum gradum Presbyterii, Dexteri ascendunt per latus Epistolae, sinistri per Evangelii, et factis hinc inde debitis genuflexionibus Altari prius, et postea Archiepiscopo, vadunt retro Archiepiscopum lineam rectam facientes, juniores in extremis lineae, seniores in medio.

11. Quinque Diaconi succedunt: bini et terni ingrediuntur Presbyterium, ut supra: et medius sive senior intret et ipse per latus Epistolae, et factis ut supra genuflexionibus, vadunt post tergum Archiepiscopi ante Subdiaconos, aliam lineam rectam formantes, senior in medio, ceteri hinc inde.

12. Subdiaconus cum balsamo ingreditur per latus Epistolae, et eodem tempore ex latere Evangelii Caeremoniarius: et factis genuflexionibus Altari et Archiepiscopo, ipse Subdiaconus subsistit in plano ante angulum dexterum mensae; Caeremoniarius remanet in Presbyterio pro directione.

13. Diaconus cum Ampulla Chrismatis per latus Epistolae, et Diaconus cum Ampulla Olei Cathecumenorum per latus Evangelii simul in-

flexionibus ad cornu Epistolae, situantes se prope Altare juxta idem cornu, scilicet ante gradus laterales illius, ut pateat retro ipsos locus ingredientibus.

9. Cantores ingrediuntur simul per latus Evangelii, et post debitas genuflexiones Archiepiscopo, et Altari se recipiunt prope Abacum.

10. Sex Subdiaconi, cum bini perveniunt ad Ambonem, Dexteri ingrediuntur in Presbyterium per latus Evangelii, Sinistri per latus Epistolae; et factis hinc inde debitis genuflexionibus Altari prius, et postea Archiepiscopo, vadunt post Archiepiscopum, lineam rectam facientes ante gradus Sedis Archiepiscopalis, juniores in extremis lineae, seniores in medio.

11. Quinque Diaconi succedunt: bini, et

grediuntur, et post debitas genuflexiones, ut supra, subsistunt in plano ante angulos mensae, Diaconus Chrismatis supra Subdiaconum Balsami.

14. Duodecim Presbyteri bini ingrediuntur, dexteri per latus Epistolae, sinistri per Evangelii; faciunt genuflexionem Altari et Archiepiscopo, et locant se juniores versus Archiepiscopum, seniores propius Altare; formantes duo cornua, sex hinc, et sex illinc, ita ut ultimi duo juniores sint versus Archidiaconum et Diaconos assistentes, vertant faciem ad Altare et simul sint testes, et ministerii sacri Chrismatis cooperatores.

et terni ingrediuntur Presbyterium, ut supra: et medius, sive senior intret et ipse per latus Evangelii, et factis, ut supra, genuflexionibus, vadunt post tergum Archiepiscopi ante Subdiaconos, aliam lineam rectam formantes, senior in medio, ceteri hinc inde.

12. Subdiaconus cum balsamo ingreditur per latus Evangelii, et eodem tempore ex latere Epistolae Caeremoniarius: et factis genuflexionibus Altari et Archiepiscopo, ipse Subdiaconus subsistit in plano ante angulum sinistrum Mensae, Caeremoniarius remanet in Presbyterio pro directione.

13. Diaconus cum ampulla chrismatis per latus Evangelii, et Diaconus cum Ampulla Olei Catechumenorum per latus Epistolae simul ingrediuntur, et post debitas genuflexiones, ut supra, subsistunt in plano ante angulos mensae, Diaconus Chrismatis supra Subdiaconum balsami.

14. Duodecim Presbyteri bini ingrediuntur, dexteri per latus Epistolae, sinistri per Evangelii: faciunt genuflexionem Altari, et Archiepiscopo, et locant se juniores propius Archiepiscopo, formantes duo cornua, sex hinc, et sex illinc, ita, ut duo primi seniores sint juxta Archidiaconum, et Diaconos assistentes, vertant faciem ad Altare, et simul sint testes, et ministerii Sacri Chrismatis cooperatores.

15. Omnibus, ut supra, dispositis, cantu-

que completo, Diaconus cum Ampulla chrismali accedit ante Archiepiscopum, factaque genuflexione, ascendit ad mensam, ibique porrigit Archidiacono ampullam involutam mappula, quam circa collum portabat, eamque Archidiaconus ipse sic involutam ostendit Archiepiscopo, et collocat ante illum in Mensa super base marmorea.

16. Diaconus descendit, et una cum Subdiacono balsami, et Diacono cum ampulla pro Catechumenis genuflectit Archiepiscopo, et per breviorem se retrahit post Archidiaconum: Subdiaconus vero ascendit ad mensam, et tradit Archidiacono Balsamum, qui illud Archiepiscopo praesentat.

17. Interim Diaconus cum ampulla pro Catechumenis se recipit ad dexteram Diaconi chrismalis.

18. Subdiaconus, facta genuflexione, per breviorem similiter se confert ad dexteram Diaconi Olei Catechumenorum.

19. Removetur operculum ex Ampulla chrismali per Caeremoniarium.

20. Archiepiscopus, deposita mitra, stans, benedicit Balsamum, dicens: *Dominus vobiscum*, et orationes: *Deus mysteriorum* etc. et *Creaturarum omnium* etc.

21. Deinde, accepta mitra, stans, miscet (1)

(1) *Miscet super pateram, vel in aliquo vasculo balsamum cum modico Olei, de ampulla Chrismali sumpti, dicens etc.*

oleum cum balsamo, dicens: *Oremus Dominum Deum* etc.
22. Sedens cum mitra, ac expansis manibus super mensam ter halat in modum Crucis super os ampullae, ut supra involutae.
23. Ampulla sic involuta collocatur ad partem anteriorem mensae.
24. Duodecim Presbyteri halant similiter, incipiendo a senioribus, hoc modo accedentes: senior, salutatis Compresbyteris sui cornu, aliquantulum a loco digressus, genuflectit Altari, inde salutatis aliis Compresbyteris alterius cornu, accedit ad mensam, ante illam genuflectit Archiepiscopo, et ascendens expansis manibus hinc inde super mensa, ter halat super os ampullae, ut supra.
25. Descendit hic, et iterum genuflectit Archiepiscopo, et vertens se per humerum dexterum (1) consalutat Compresbyteros sinistri cornu cum secundo seniore, cum quo pariter a loco parum digresso genuflectit Altari; et item salutatis Compresbyteris cornu dexteri, se recipit ad locum suum.
26. Secundus senior, salutans Compresbyteros cornu dexteri, accedit ad Mensam, genuflectit, ascendit, halat, et vertens se per humerum sinistrum (2), descendit,

(1) *In Ecclesiis, uti supra, vertit se per humerum sinistrum.*
(2) *Vertit se per humerum dexterum in Ecclesiis ut supra.*

genuflectit iterum Archiepiscopo, et inde cum tertio consalutatis Compresbyteris dexteri cornu, genuflectit Altari, et redit ad locum suum, consalutando Compresbyteros sui cornu.

27. Sic tertius, quartus, et reliqui usque ad ultimum.

28. Post haec iterum ampulla collocatur ante Archiepiscopum, qui stans cum mitra, dicit legendo exorcismum super Oleum: *Exorcizo te* etc.

29. Deposita mitra, subjungit Praefationem, extensis manibus ante pectus, quam concludit legendo.

30. Stans item sine mitra, immittit Balsamum cum Oleo in Ampullam, dicens: *Haec commixtio liquorum* etc.

31. Diaconus chrismalis accedit ante Mensam, genuflectit, ascendit, detrahit mappulam de ampulla, non autem sericam vestem albam, et retrahens se descendit, genuflectit, redit ad locum suum, et ibi imponit sibi collo eamdem mappulam.

32. Archiepiscopus capite inclinato salutat Chrisma, dicens in tono lectionis: *Ave sanctum Chrisma*, quod secundo, et tertio repetit, semper altiori voce, et postea ampullam osculatur.

33. Sedet cum mitra, et interim ampulla locatur in parte anteriori mensae per Caeremoniarium.

34. Duodecim Presbyteri singuli accedunt ad salutandum Chrisma hoc ordine:

1. Senior eorum, facta a loco suo genu-

flexione Archiepiscopo, vadit salutans Compresbyteros ad gradus Altaris, et ibi prope medium (*hoc est aliquantulum versus Epistolam*), (1) genuflectit Sanctissimo, tum vertens se per humerum sinistrum versus mensam, ibi in medio genuflexus ambobus genibus dicit in eodem tono lectionis: *Ave Sanctum Chrisma.*

Tum surgit, et procedens ad medium plani, iterum ambobus genibus genuflexus secundo dicit altiori voce: *Ave Sanctum Chrisma.*

Accedit postremo ad gradus mensae, et ibi similiter genuflexus in inferiori gradu dicit tertio altiori adhuc voce: *Ave Sanctum Chrisma,* ac demum ascendens ad mensam, expansis hinc inde manibus super eam, osculatur os ampullae. Descendit postea per humerum dexterum, (2) genuflectit Archiepiscopo in medio, et vertens se per eumdem humerum versus Altare, genuflectit Sanctissimo, et se recipit ad locum suum, salutatis juxta regulas communes Compresbyteris.

2. Secundus a loco suo genuflectit Archiepiscopo eodem tempore, quo pri-

(1) *In Ecclesiis, quae non habent Altare ad Orientem, Presbyter genuflectit aliquantulum versus Evangelium, et vertit se per humerum dexterum.*

(2) *In iisdem Ecclesiis, ut supra, descendit per umerum sinistrum.*

mus tertiam genuflexionem facit in gradibus mensae: et salutans Compresbyteros, vadit ad gradus Altaris, et ibi prope medium (hoc est aliquantulum versus cornu Evangelii) (1) genuflectit Sanctissimo, ac vertens se per humerum dexterum versus mensam, ibi in medio genuflexus ambobus genibus dicit, ut supra: *Ave Sanctum Chrisma.*

Tum cetera praestat, uti primus, praeterquam in conversione sui post osculum ampullae, et post genuflexionem Archiepiscopo, nam se vertit per humerum sinistrum.

3. Sic tertius, quartus etc. usque ad ultimum.

35. Ampulla operitur, et collocatur in sinistro latere Mensae super base marmorea.

36. Diaconus alter cum ampulla Olei pro Catechumenis accedit ante Archiepiscopum, factaque genuflexione, ascendit ad mensam, ibique porrigit Archidiacono ampullam sine mappula, quam ipse Diaconus circa collum retinet, et Archidiaconus eam ostendit Archiepiscopo, et collocat ante illum in mensa super sua base marmorea.

(1) *In iisdem Ecclesiis, ut supra, genuflectit aliquantulum versus cornu Epistolae, et vertit se per humerum sinistrum, et post osculum ampullae se vertit per humerum dexterum.*

37. Diaconus descendit, genuflectit Archiepiscopo, et redit ad locum suum per breviorem, et interim removetur operculum ex ampulla per Caeremoniarium.
38. Archiepiscopus sedens halat ter in modum Crucis super os dictae ampullae, retenta mitra.
39. Ampulla collocatur in parte anteriori mensae super base marmorea.
40. Duodecim Presbyteri similiter halant, uti supra de Oleo Chrismatis diximus num. 24. et seq.
41. Iterum ampulla ante Archiepiscopum, qui stans cum mitra voce intelligibili dicit exorcismum: *Exorcizo te* etc.
42. Deposita mitra, et stans dicit eadem voce: *Dominus vobiscum*, et orationem: *Deus incrementorum* etc.
43. Capite inclinato ter salutat Oleum, dicens in tono lectionis: *Ave sanctum Oleum*, quod secundo, et tertio repetit semper altiori voce, ac tandem ampullam osculatur.
44. Sedet cum mitra: et interim ampulla locatur in parte anteriori mensae.
45. Duodecim Presbyteri salutant et ipsi dicentes ter in tono lectionis: *Ave sanctum Oleum*, eodem prorsus modo, quo de Chrismate dictum est a num. 34. cum seqq.
46. Postquam ultimus Presbyter osculatus fuerit ampullam, duo Cantores in suis locis incipiunt ℣. *Ut novetur* etc. et inte-

rim ampulla operitur operculo suo: tum Archidiaconus, adjuvante Caeremoniario, tradit ambas ampullas Chrismatis, et Catechumenorum suis Diaconis, et bacile cum vasculis, spatulis etc. Subdiacono.

47. Dirigitur Processio pro reportandis Oleis in Secretarium hoc ordine:

1. Thuriferarius, Cruciferarius cum Cruce, et Ceroferarii per latus Epistolae, (1) ubi sunt, egrediuntur ambonem, procedunt per navem mediam, et redeunt per navem lateralem in Secretarium.
2. Sequuntur per idem latus duo Cantores, factis Archiepiscopo, et Altari genuflexionibus, cantantes ℣. *Ut novetur* etc. Choro respondente: *O Redemptor* etc.
3. Sex Subdiaconi ordine suo, incipiendo a junioribus, descendunt bini in Presbyterium hinc inde, et facta genuflexione Archiepiscopo ante mensam, et Sacramento prope gradus Altaris, exeunt per ambonem, dexter per latus Epistolae, (2) sinister per Evangelii, et procedunt.

(1) *In iisdem Ecclesiis, ut supra dictum est, exitur per latus Evangelii.*

(2) In iisdem Ecclesiis, quae non habent Altare ad Orientem, observantur quae sequuntur a num. 3. ad 6.

3. Sex Subdiaconi ordine suo, incipiendo a junioribus, descendunt bini in Presbyterium hinc

4. Quinque Diaconi bini, et terni subsequuntur, et medius, sive senior omnium per latus Epistolae.
5. Subdiaconus cum bacili, ut supra, per latus Epistolae, comitante ex altera parte Caeremoniario.
6. Duo Diaconi cum ampullis descendunt ante mensam, qui defert Oleum Catechumenorum ad latus sinistrum ejusdem mensae, qui Chrisma ad dexterum, et factis debitis genuflexionibus, ut supra, procedunt, hic cum Chrismate per latus Epistolae, alter per latus Evangelii.
7. Sequuntur bini duodecim Presbyteri,

inde, et facta genuflexione SS. Sacramento prope gradus Altaris, et Archiepiscopo ante mensam exeunt e Presbyterio dexter per latus Evangelii, sinister per Epistolae, et procedunt.

4. Quinque Diaconi bini et terni subsequuntur, et medius, sive senior omnium per latus Evangelii.

5. Subdiaconus cum bacili, ut supra, per latus Evangelii, comitante ex altera parte Caeremoniario.

6. Duo Diaconi cum ampullis descendunt ante mensam, qui defert Oleum Catechumenorum ad latus dexterum ejusdem mensae, qui Chrisma ad sinistrum, et factis debitis genuflexionibus, ut supra, procedunt, hic cum Chrismate per latus Evangelii, alter per latus Epistolae.

genuflectentes Archiepiscopo, et Altari, prout Subdiaconi supra n. 3.

8. Cum perveniunt ad Secretarium, ibi se disponunt ut supra dictum est n. 5. pag. 72. et depositis ampullis etc. Diaconi se recipiunt inter Diaconos, Subdiaconus inter Subdiaconos, et revertitur Processio per breviorem in Presbyterium, et quisque petit locum suum, ut in principio Missae.

48. Cantantur versiculi per Cantores processionis, et Chorum, ut supra, in quorum fine cantatur *Communio Missae*, et Archiepiscopus lavat manus sedens cum mitra.

§. VIII.

De prosequutione Missae usque ad Processionem Sanctissimi Sacramenti ad Sacellum exclusive.

1. Archiepiscopus, lotis manibus, ad Altare, ante cujus gradus deponit mitram, genuflectit in plano, ascendit ad Altare, osculatur illud, iterum genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, et legit *Communionem*.
2. Interim amoventur mensa, faldistorium et scabella e medio Chori.
3. Archiepiscopus prosequitur Missam, in qua haec observabit.
   1. Lecta Communione, venit in medium, prius genuflectit, postea osculatur, et

non (1) vertens se (cum Altare sit sub Tribuna) dicit: *Dominus vobiscum;* iterum genuflectit, et redit ad cornu Epistolae, et cantat Postcommunionem.

2. Iterum venit in medium, genuflectit, osculatur Altare, dicit: *Dominus vobiscum*, ut supra; et dicto per Diaconum: *Ite Missa est*, subjungit: *Placeat* etc. Postea osculatur Altare, et dat more solito benedictionem solemnem, non se vertens, (2) et in fine pro nunc non publicantur Indulgentiae.
3. Data benedictione, genuflectit, et accedit ad cornu Evangelii, ubi signato libro, non Altari, legit integrum (a) Evangelium S. Joannis, in quo ad verba: *Et Verbum caro factum est*, genuflectit versus (b) Sacramentum.
4. Archiepiscopus iterum genuflectit in medio, et descendens suppedaneum in secundo gradu accipit mitram.
5. Recedit ad sedem cum Diaconis assisten-

(1) *In iisdem Ecclesiis, ut supra, post osculum Altaris retrahens se versus latus Evangelii versa facie ad cornu Epistolae, dicit :* Dominus vobiscum *etc.*

(2) *In Ecclesiis, quae habent Altare e conspectu populi, Archiepiscopus retrahens se versus cornu Evangelii versa facie ad cornu Epistolae dat more solito benedictionem solemnem, qua data, deponit Pallium super Altari per manus Diaconi.*

(a) Caerem. Epis. hic.

(b) Gav. Bauldr. hoc die.

tibus tantum, et Diaconus, et Subdiaconus Missae remanent ad sua scabella, ubi deponunt manipulos.

6. Archiepiscopus sedet cum mitra (sedentibus omnibus aperto capite), et alloquens Archipresbyterum Metropolitanae, (cujus est Oleorum sacrorum custodia, et distributio) monet eum, ut ad tenorem Pontificalis Romani in distribuendis Oleis singulos Parochorum attente jubeat, ut juxta Canonum Traditionem Chrisma, et Olea fideliter custodiant, et nulli sub praetextu medicinae, vel maleficii tradere, praesumant, alioquin honore priventur.

7. Completa monitione, Archiepiscopus, non recedentibus Diaconis assistentibus, per manus Diaconi, et Subdiaconi paramenta deponit usque ad stolam exclusive, et accipit pluviale, pectorale, et mitram.

8. Interim ceteri parati manipulos dimittunt, adjuvantibus Acolythis, et disponitur Processio, ut infra.

§. IX.

Da Processione Sanctissimi Sacramenti ad Sacellum.

1. Archiepiscopo parato, accedit Presbyter assistens cum duobus Thuriferariis, recedentibus Diacono, et Subdiacono in Secretarium pro deponendis Albis, et sumendis paramentis super rocchettum, si-

cut et ceteri Canonicorum; deinde inter alios Canonicos in Choro.

2. Archiepiscopus in sede stans cum mitra imponit incensum in duobus thuribulis, sine benedictione, et sine osculis.
3. Idem ad Altare, ubi deposita mitra, genuflectit prius in plano, et deinde in suppedaneo genuflexus Sacramentum incensat, adjuvantibus Presbytero, et Diaconis assistentibus.
4. Imponitur velum humeris Archiepiscopi ibi in suppedaneo genuflexi per secundum Diaconum, et Caeremoniarium.
5. Primus Diaconus assistens ascendit ad suppedaneum Altaris, genuflectit, erigit se, et ad cautelam *firmat velum Calicis vitta serica albi coloris;* deinde accipit dextera nodum, sinistra pedem calicis, et stans, eumdem Calicem porrigit Archiepiscopo genuflexo.
6. Archiepiscopus accipit ab eo calicem sinistra per nodum submittens eam velo, et dexteram ponit supra calicem, supra quam Diaconus extendit extremitates ambas veli humeralis, et Archiepiscopo surgente, Diaconus genuflectit, et adorat Sacramentum.
7. Ascendit Archiepiscopus in planum suppedanei, et vertit renes Altari: interim Diaconi assistentes cum debita genuflexione mutant loca.
8. Tunc incipitur per Cantores: *Pange lingua* etc

9. Omnes interim per ambonem, et navem principalem Ecclesiae procedunt hoc ordine, assumentes cereos accensos sub gradibus dicti ambonis:

1. Vexillum, et labarum cum sodalibus Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti: (1)
2. Crux Capituli per Ministrum cotta indutum:
3. Clerici Seminarii, et alii:
4. Mansionarii:

(*Exeunt post istos octo parati cum pluvialibus, et sub gradibus ambonis hinc inde se collocant, pro deferendis hastis baldachini sibi abAcolythis porrigendis, quando Archiepiscopus descendit ambonem.*)

5. Familiares Archiepiscopi cum Scutiferis hinc inde, continuationem tamen procedentium non interrumpentibus:
6. Mazzerius:
7. Crux Archiepiscopalis per Cruciferum paratum inter Ceroferarios:
8. Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri bini:
9. Canonici, inter quos Presbyter assistens:
10. Minister cum pastorali:
11. Thuriferarii duo:
12. Baldachinum delatum a Canonicis (2) Collegiatarum pluvialibus indutis, quo-

(1) *Si tamen in Ecclesia adest erectum hujusmodi Sodalitium.*

(2) *Vel a Beneficiatis Ecclesiae.*

rum seniores sint in primis hastis, scilicet anterioribus :

13. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes sub eodem baldachino, Sacramentum deferens :

14. Ministri parati cum Mitra, libro, et bugia :

15. Vicarius Generalis, et protonotarii.

10. Ad Sacellum, seu Sepulchrum Vexillifer, et Cruciferarius se sistunt in conspectu Sacelli, aliquantulum recedentes e medio, ita ut pateat aditus procedentibus.

11. Omnes procedentes in gyrum quadruplicatum se disponunt; primum gyrum faciunt Confratres, secundum Clerici, et Mansionarii, tertium Subdiaconi, Diaconi, duodecim Presbyteri, et suo tempore octo Hastiferi; quartum interiorem Canonici Metropolitanae cum Protonotariis, et Vicario Generali, taliter quod juniores singulorum gyrorum maneant prope Vexillum, aut Crucem hinc inde; seniores vero procedant ultra, ut proximiores sint Sacello.

12. Stabunt omnes hinc inde usque ad adventum Sacramenti facie ad invicem conversa.

13. Ingresso Archiepiscopo cum Sacramento, Acolythi resumunt hastas baldachini, illud asportantes ad locum suum; et interim octo praedicti Hastiferi, quatuor ex una, et quatuor ex altera parte acce-

dunt in capite tertii gyri super Presbyteros.

14. Tunc qui gerunt vexillum, Cruces, et candelabra collocant se e regione Sacelli, unusquisque in medio proprii gyri illum claudentes, et omnes praeter Cruciferos, ac Ceroferarios genuflectunt conversi ad Sacramentum.

15. Archiepiscopus ante supremum gradum Altaris (scilicet ante suppedaneum) stans, dat Sacramentum primo Diacono genuflexo super suppedaneum, amotis prius per eundem Diaconum veli humeralis extremitatibus.

16. Surgit Diaconus cum Sacramento, et Archiepiscopus genuflectit in suppedaneo, et per secundum Diaconum amovetur ex humeris ejus velum, adjuvante Caeremoniario.

17. Genuflexo Archiepiscopo, Diaconus reponit Sacramentum (a) in loculo sive capsula praeparata super Altari, et non claudit.

18. Archiepiscopus stans ministrat incensum, accedente Presbytero assistente, et genuflexus super suppedaneo, Sacramentum incensat, Cantoribus interim cantantibus: *Tantum ergo Sacramentum* etc. cum *Genitori*, *Genitoque* etc.

19. Incensato Sacramento, Diaconus claudit Capsulam, et tunc colliguntur cerei, asportantur, et extinguuntur.

(a) Caerem. Rom. et Ep. Castald. etc.

20. Archiepiscopus surgens accedit ad Altare, osculatur illud, genuflectit, et se recipit ad latus Evangelii, ubi accedente Cruciferario, et Ministro cum pastorali, versa facie ad populum, dat solemnem benedictionem.
21. Archiepiscopus, facta in medio genuflexione, descendit in planum, et in primo gradu inferiori genuflexus, aliquantulum orat.
22. Publicantur Indulgentiae pro Presbyterum assistentem.
23. Interim
 1. A propria cappella Sacramenti ad Oratorium secretum Sodalium transfertur Pyxis cum Particulis per Mansionarium Sacristam, stola alba super cappa indutum, et cum velo humerali, inservientibus duobus Acolythis cum luminibus, et altero pro velo etc. atque ibidem asservatur debito decore, sed secreto usque ad Sabbatum Sanctum.
 2. Transferuntur ex Altari majori in Secretarium Reliquiae per duos Cappellanos cum stolis, et cum duobus Acolythis lumina gestantibus:
 3. Canonicorum cappae in sedilibus Chori distribuuntur:
 4. Ostiarii ad portas Aulae majoris, et Ecclesiae assistant:
 5. Amovetur e Choro suppedaneum cum suo gradu jam adjunctum gradibus Chori cum superpositis tapetibus; item

sedilia, quae transferuntur in Presbyterio ante cancellos laterales a parte Evangelii:

6. Apponitur amboni Archiepiscopali pannus violaceus sericeus pendens, remoto altero coloris rubei:

7. Amoventur etiam e Presbyterio faldistorium, et ex Abaco omnia praeter tobaleam, pluviale violaceum cum sua stola, mitram simplicem, pateram cum pectorali, velum humerale violaceum, bacile argenteum pro sandaliis, librum Canonis cum bugia, tabellas casuum; Pontificale, et candelam cerae communis.

§. X.

De regressu Processionis etc.

1. Omnes postquam ante SS. Sacramentum aliquantulum oraverint, ordine suo redeunt ad Altare hac methodo:
   1. Surgunt tantum illi de primo gyro, et bini genuflectentes Sacramento, sequuntur Vexillum, et Labarum, et cum pervenerint ad gradus Ambonis hinc inde se disponunt de more.
   2. Surgunt omnes secundi gyri, et genuflectentes, ut supra, sequuntur Crucem Capituli (*quae directe a Presbyterio in Sacristiam defertur*), et ad propria loca, sive in Abaco, sive alibi se disponunt juxta ministeria eorum.

3. Surgunt omnes parati de tertio gyro, et genuflectentes, sequuntur Crucem Archiepiscopi (quam praecedit Mazzerius cum clava inversa) usque ad Presbyterium, ubi Crucifer ad locum suum, Thuriferarius cum Ceroferariis ad Secretarium, parati omnes in Presbyterio hinc inde in duabus lineis remanent, donec transeat Archiepiscopus, ita ut lineae anteriores sint Presbyterorum, et Hastiferorum, posteriores Diaconorum, et Subdiaconorum, ac Dignitates sint proximiores Altari:
4. Canonici Metropolitanae, qui post genuflexionem procedunt post Canonicos Collegiatarum Hastiferos, et extra cancellos Sacelli accipiunt mitras, deinde in Choro:
5. Archiepiscopus tandem surgit, genuflectit in plano, et extrá cancellos eosdem accipit mitram.

2. Archiepiscopus ad sedem (a), ubi per Diaconos assistentes, depositis pluviali, et stola albis, sumit stolam, et pluviale violacei coloris, et mitram simplicem.
3. Interim Canonici Metropolitanae deponunt paramenta in propriis locis, et resumunt cappas.
4. Eodem tempore, praecedentibus quatuor Acolythis, Cruciferarius, Subdiaconi, Dia-

(a) Caerem. Episc. lib. 2. cap. num. 13.

coni, Presbyteri, octo Hastiferi, et quatuor Mansionarii parati, bini cum debitis genuflexionibus ad aulam majorem, et minorem paramentorum respective, pro dimissione paramentorum: et illico in habitu eorum chorali ad Chorum, aut Presbyterium.

5. Induto Archiepiscopo, ut supra, accedunt duo alii Canonici Diaconi cum cappis, recedentibus primis inter Canonicos pro dimissione paramentorum.
6. Archiepiscopus deponit Sandalia per Cappellanum cum velo humerali violaceo, et legit Psalmos pro gratiarum actione, accedentibus Ministris de libro, et bugia in habitu chorali.
7. Lectis Psalmis etc. redeunt ad Archiepiscopum primi duo Diaconi recedentibus secundis.

§. XI.

De publicatione Bullae in Coena Domini, et casuum reservatorum.

1. Archiepiscopus cum mitra ad ambonem suum cum Diaconis assistentibus, et sedet sedentibus omnibus, exceptis supradictis Diaconis.
2. Primus Diaconus legit Bullam Coenae, et casus reservatos Summo Pontifici, et Archiepiscopo.

3. Dum incipit Diaconus legere, Archiepiscopus accipit candelam cerae communis accensam, et in fine, accedentibus Ministris de libro, et bugia, profert anathema.
4. In fine dicitur ter ab omnibus *Fiat*, et Archiepiscopus projicit in terram candelam ardentem.
5. Archiepiscopus sedit ad Sedem, ubi deponit sacras vestes per manus Diaconorum, quae deferuntur in Secretarium.
6. Cum cappa se recipit ad stallum suum chorale pro Vesperis, et sedet, sedentibus omnibus.

§. XII.

De Vesperis.

1. Detecto capite, surgunt omnes, et dicitur secreto: *Pater noster*, et *Ave*.
2. Incipiuntur vesperae absolute ab Antiphona: *Calicem salutaris*, qua integre completa, omnes sedent.
3. Psalmi alternatim dicuntur demissa voce, et sine cantu.
4. Ad *Magnificat* surgunt omnes, et ad repetitionem Antiphonae sedent.
5. Archiepiscopus genuflectens cum omnibus, absolvit Vesperas, ut in Breviario.

§. XIII.

De Altarium denudatione.

1. Archiepiscopus descendit ante Altare cum omnibus Canonicis, et Mansionariis, ubi Archiepiscopus sistit in medio, Canonici se disponunt in gyrum, Seniores a cornu Evangelii, Mansionarii in alium gyrum post Canonicos pari ordine.
2. Interim Archiepiscopus explicat cappam, et facta reverentia Altari, intonat cum cantu Antiphonam: *Diviserunt*, quam Chorus (a) prosequitur cum Psal. 21. *Deus Deus meus respice in me* etc. (ut in Breviario Feria VI. ad Primam), et in fine repetitur Antiphona.
3. Archiepiscopus, intonata Antiphona, solus ascendit ad Altare, et amovet tobaleas, et per breviorem descendit ad planum cornu Evangelii in capite gyri Canonicorum, et omnes tunc, cooperto capite, prosequuntur cantantes Psalmum alternatim unus gyrus cum altero.
4. Interim.
   1. Duo Acolythi recipiunt tobaleas amotas ab Archiepiscopo.
   2. Duo alii extinguunt candelas.
   3. Duo alii amovent pallium.
   4. Duo alii amovent vasa cum floribus.
   5. Quatuor alii tapete Altaris.

(a) Gastald. lib. 3. scet. 6. cap. 4. n. 11.

6. Sex alii denudant Sedem Archiepiscopalem.
7. Duo alii Sedes Canonicorum.
8. Duo alii deferunt in Presbyterium ante Altare Faldistorium nudum cum pulvinaribus violaceis.
9. Alii Acolythi bini pro singulis septendecim Altaribus minoribus denudandis.

5. Repetita Antiphona, Archiepiscopus genuflectit ad Faldistorium, ceteri in gyris suis, et crotalo datur signum salutationis Angelicae.
6. Surgunt postea omnes, et adorant unico genu Crucem (*quae ex nunc per hoc triduum usque ad Nonam Sabbati Sancti inclusive cum genuflexione adoratur ab omnibus transeuntibus ante illam.*)
7. Deinde modeste recedunt cum silentio ad Mandatum.

§. XIV.

De Mandato in aula Archiepiscopii faciendo (1).

1. Dum dicuntur Vesperae, Diaconus, et Subdiaconus in Aula majori paramentorum sumunt sua paramenta alba, exceptis manipulis.

(1) *Alicubi mandatum peragitur in ipsa Ecclesia, et tunc prudens Caeremoniarius disponet omnia circa Sedes Canonicorum, Beneficiatorum, et Pauperum, prout rectius sibi videbitur, exceptis omnibus heic notatis.*

2. Iidem ad propria scabella in Aula Archiepiscopii, praecedentibus Acolythis.
3. Archiepiscopus ad Sedem cum duobus Diaconis: ceteri Canonici in propriis locis, et pauperes in suis sedilibus.
4. Crux Archiepiscopalis in medio areae cum Cruciferario (1).
5. Archiepiscopus, deposita cappa, sumit per Diaconum et Subdiaconum (non recedentibus Diaconis assistentibus) cottam, amictum, albam, cingulum violaceum, Crucem pectoralem, stolam, et pluviale violacei coloris, pectorale, et Mitram simplicem, et accedit Minister cum pastorali.
6. Diaconus deinde, et Subdiaconus ad propria scabella, et manipulos desumunt.
7. Diaconus ad Archiepiscopum pro osculo manus.
8. Presbyter assistens, et Thuriferarius ad Archiepiscopum pro ministrando incenso cum osculis, et benedictione, et statim recedunt.
9. Diaconus interim accipit librum Evangeliorum, deinde ante Crucem genuflectit, et dicit: *Munda cor meum* etc.
10. Procedit cum Subdiacono, Thuriferario, et Acolythis Ceroferariis ad Archiepiscopum pro benedictione, et ad Evan-

(1) *Facie Crucifixi versa ad Archiepiscopum.* Caerm. Ep. lib. 2. cap. 2. num. 5.

gelium, quod cantatur in legili a dextris Crucis locato, Subdiacono a tergo legilis librum ambabus manibus retinente.
11. Archiepiscopus in fine osculatur librum.
12. Incensatur a Diacono; et amovetur legile.
13. Diaconus et Subdiaconus recedunt ad propria loca, et manipulos deponunt.
14. Cantores incipiunt Antiphonam: *Mandatum novum* etc.
15. Archiepiscopus deponit per manus Diaconorum pluviale, et accipit linteum, et mitram.
16. Procedit ad lotionem pedum cum Diaconis assistentibus.
17. Archiepiscopus genuflexus super pulvinari lavat, tergit, et osculatur pedes dexteros tredecim pauperum.
18. Peracta pedum ablutione Archiepiscopus ad sedem.
19. Lavat manus more solito, accedente Presbytero assistente, qui non discedit.
20. Retenta mitra, deponit linteum, et resumit pluviale violaceum cum pectorali.
21. Ceroferarii cum Ministris de libro, et bugia ad Archiepiscopum.
22. Archiepiscopus, deposita mitra, surgit, et dicit intelligibili (a) voce: *Pater noster;* deinde (b) cantat:
℣. *Et ne nos inducas in tentationem*,

(a) Caerem. Ep. lib. 2. cap. 24.
(b) Missus Verb. Mandatum.

℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Tu mandasti, mandata tua Domine,*
℟. *Custodiri nimis:*
℣. *Tu lavasti pedes Discipulorum tuorum,*
℟. *Opera manuum tuarum ne despicias.*
℣. *Domine exaudi etc.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum etc.*

Oremus. Adesto Domine quaesumus etc.
Quae omnia dicit manibus junctis.

23. Completa oratione, Archiepiscopus alte elevans manum facit signum Crucis versus omnes existentes in aula (a) nihil dicens; et omnes genuflectunt, vel profunde inclinant respective.

24. Deponit paramenta per Diaconum, et Subdiaconum, non recedentibus Diaconis.

25. Discedunt Diaconus, et Subdiaconus, et comitantibus Acolythis, in aula paramentorum exuuntur.

26. Archiepiscopus accipit non solum mozzettam; sed etiam ante illam mantellettum *(quod servatur hoc triduo, quoties non habet cappam, vel paramenta)*, et procedit ad coenam pauperum.

27. Omnes Canonici, et alii de Clero solita modestia discedunt.

28. Archiepiscopus benedicit mensam, ut in Breviario hac die, et ministrat pauperibus, et dum coenatur, habebitur Sermo per unum ex Clericis Seminarii.

(a) Caerem. Ep. lib. 2, cap. 24. §. 9.

CAP. III.

Pro Reconciliatione Poenitentium.

§. I.

De praeparandis.

In Secretario.

Super paramenta missalia albi coloris disposita super Altari apponantur.

Mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola coloris violacei, Crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus, et superpelliceum, cooperta velo violaceo.

In Aula minori paramentorum.

Pluviale violaceum pro Archipresbytero,
Stola violacea pro Archidiacono,
Stola et Dalmatica violacei coloris pro primo ex Diaconis.
Stola violacea pro Diacono Archiepiscopi.

Item pro Missa, reconciliatione absoluta.

Pluvialia duo albi coloris pro Archidiacono, et pro Archipresbytero,
Dalmaticae duae pro Diaconis assistentibus, ac tres aliae pro tribus aliis Diaconis.
Tunicellae num. duae pro Subdiaconis.

In Presbyterio, et Choro.

Quatuor scabella a dextris, et quinque a sinistris genuflexorii Archiepiscopalis, locati in medio Presbyterii, disposita in semicirculum.
Pontificale, et Breviaria pro Psalmis poenitentialibus, et Litaniis.

In Abaco Altaris majoris.

Candelae cerae albae num. duae.
Cereus magnus.
Vas aquae benedictae cum aspersorio.

In medio Ecclesiae.

Suppedaneum coopertum tapete, et super eo Faldistorium cum veste, et pulvinaribus violaceis.
Quatuor Scabella a dextris Faldistorii, et quinque alia a sinistris in semicirculum.
Sedilia pannis viridibus cooperta pro Canonicis hinc inde versus januam Ecclesiae.
Sedilia pro Mansionariis in fine sedilium Canonicalium facie versa ad Faldistorium.
Sedilia pro Clericis retro sedilia Canonicalia.
Scabellum pro Crucifero.
Pes ligneus pro Cruce.
Legile cum tertia parte libri Pontificalis pro Schola.

Foculus cum igne et forcipe in loco congruo.

Prope januam Ecclesiae.

Tapete stratum.
Legile cum parte tertia libri Pontificalis.
Candelae juxta numerum poenitentium.
Aliud Faldistorium tectum violaceis.
Scabella num. novem.

§. II.

De praemittendis in Secretario pro reconciliatione Poenitentium, et de accessu ad Altare pro Psalmis Poenitentialibus, et Litaniis.

1. Archiepiscopus post Sextam ad Secretarium, ubi incepta Nona, accipit sandalia albi coloris, recitat Psalmos, et Nonam concludit genuflexus ante Altare cum Psal. *Miserere*, et Oratione: *Respice* etc. ut in hoc titulo VI. Cap. II. §. 1. per totum.
2. Dum dicitur Nona Diaconus, qui erit secundus in ordine, et Subdiaconus alius a Subdiacono Missae in aula minori, et accipiunt paramenta pro reconciliatione.
3. Completa Nona, dum Archiepiscopus accedit ad Sedem cum Diaconis, et Presbytero assistentibus, Ministri scilicet Diaconus, et Subdiaconus in albis ex aula minori paramentorum in Secretarium, et ad propria scabella.

4. Archiepiscopus, accedentibus Ministris de libro. et candela in habitu chorali, exuitur cappa, et lavat manus.
5. Diaconus, et Subdiaconus, sequentibus Acolythis cum paramentis ad Archiepiscopum.
6. Recedunt ab Archiepiscopo, lotis ejusdem manibus, Presbyter et Diaconi assistentes; et illico ad aulam minorem praedictam pro paramentis Archidiaconus, Archipresbyter, primus Diaconus, ac quatuor ex novissimis Canonicis; sed cum eis non accedant Diaconus, et Subdiaconus ministraturi in Missa.
7. Archiepiscopus paratur cotta, amictu, alba, cingulo albi coloris, Cruce pectorali, stola, et pluviali coloris violacei, pectorali; ac mitra simplici, et accedit Minister cum pastorali in habitu chorali, prout ceteri Ministri.
8. Eodem tempore in dicta aula minori parantur
   1. Archipresbyter amictu, et pluviali coloris violacei:
   2. Archidiaconus amictu, alba, cingulo, et stola diaconali coloris violacei:
   3. Antiquior, scilicet primus Diaconorum induatur solemniter, nempe amictu, alba, cingulo, stola, et dalmatica violacei coloris:
   4. Quatuor ex novissimis Canonicis pro quatuor Subdiaconis sumunt amictum, albam, et cingulum.

9. Supradicti septem parati e dicta aula ad Secretarium, et factis debitis reverentiis, sedebunt cum mitris supra Canonicos non paratos, et in primo loco Archipresbyter, quia pluviali indutus.
10. Parato Archiepiscopo, Diaconus, et Subdiaconus sedent a lateribus ejusdem.
11. Interim Poenitentes induti cilicio, nudis pedibus, atque candelas extinctas tenentes, accedunt ante fores Ecclesiae.
12. Archiepiscopus procedit cum Ministris paratis, et toto Clero e Secretario ante Altare majus hoc ordine:
    1. Caeremoniarius,
    2. Clerici Seminarii cum aliis,
    3. Mansionarii.
    4. Familiares Archiepiscopi cum Scutiferis hinc inde,
    5. Mazzerius,
    6. Cruciferarius cotta indutus cum Cruce inter Ceroferarios,
    7. Canonici omnes non parati ordine eorum,
    8. Duo Subdiaconi juniores parati in albis, ut supra,
    9. Duo alii Subdiaconi seniores item parati in albis,
    10. Archipresbyter cum pluviali medius inter Archidiaconum stola, et primum Diaconum dalmatica paratos, ut supra,
    11. Minister cum pastorali,
    12. Archiepiscopus inter Diaconum, et Subdiaconum in albis,

13. Ministri de mitra, libro, et bugia.

13. Ad Altare omnes se componunt in propriis locis, ut infra:

1. Clerici, Mansionarii, et Canonici non parati in Presbyterio, et Choro respective,
2. Cruciferarius, ut alias, deponit Crucem in loco solito, Ceroferarii ad credentiam:
3. Quatuor Subdiaconi ad sinistram genuflexorii Archiepiscopalis.
4. Archipresbyter, Archidiaconus, et primus Diaconus ad dexteram dicti genuflexorii.
5. Archiepiscopus habens Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris procumbit ante Altare majus super genuflexorio.

Omnes supradicti parati, semicirculum una cum Archiepiscopo ante Altare efformantes, genuflectunt, et procumbunt super scabella sine mitris.

14. Archiepiscopus genuflexus deponit mitram, et orat, omnibus de Clero, Choro, et populo genuflectentibus.

15. Poenitentes, ut supra, prosternunt se ante dictas fores Ecclesiae.



§. III.

De recitatione Psalmorum Poenitentialium, et Litaniis.

1. Archiepiscopus genuflexus sine mitra, ut supra, dicit sine cantu: *Ne reminiscaris*: deinde accipit mitram.
2. Schola statim per unum ex Cantoribus incipit Psal. *Domine ne in furore tuo* etc. quem cum reliquis Psalmis Poenitentialibus Archiepiscopus cum praedictis Ministris sine (a) mitris procumbentibus, et Clero genuflexo alternatim prosequuntur sine nota.
3. Completis Psalmis schola repetit Antiph. *Ne reminiscaris Domine delicta* etc.
4. Repetita Antiph. Archiepiscopus inchoat sine cantu Litanias, quae duplicantur.
5. Acolythi interim accendunt duas candelas deferendas, ut infra.
6. Cum in Litaniis dictum fuerit: *Omnes Sancti Patriarchae, et Prophetae, Orate pro nobis*: et idem a Choro fuerit responsum, paulisper subsistitur.
7. Archiepiscopus mittit duos juniores Subdiaconos ad Poenitentes, dicens haec, vel similia verba: *Duo juniores Subdiaconi accedant ad Poenitentes.*
8. Duo juniores Subdiaconi accipiunt ab Acolythis candelas accensas, ut supra,

(a) Caerem. Rom. lib. 2. cap. 60.

surgunt, et facta reverentia Altari, et Archiepiscopo, praecedentibus duobus Acolythis, accedunt ad limen ostii, ubi jacent poenitentes.

9. Supradicti Subdiaconi stantes in limine ostii, elevatis manibus ostendunt Poenitentibus candelas accensas, et ex Pontificali collocato super legili cantant Ant. *Vivo ego* etc.

10. Cantata Antiphona, iidem Subdiaconi extinguunt candelas coram Poenitentibus, et tradunt eas Acolythis, et revertuntur ad priorem locum a sinistris Archiepiscopi, ubi iterum procumbunt.

11. Extinctis, ut supra, candelis, Archiepiscopus resumit Litanias a verbis: *Sancte Petre*: et prosequitur usque ad verba: *Omnes Sancti Martyres* etc.

12. Responso per Chorum: *Omnes Sancti Martyres* etc. subsistitur secundo a Litaniis.

13. Archiepiscopus mittit duos alios Subdiaconos, scilicet seniores ad Poenitentes, dicens: *Duo seniores Subdiaconi accedant ad Poenitentes.*

14. Duo seniores Subdiaconi accipiunt et ipsi candelas accensas, et accedunt ad Poenitentes, et stantes in limine ostii ostendunt candelas Poenitentibus, cantant Antiph. *Dicit Dominus* etc. deinde extinguunt candelas coram Poenitentibus, et revertuntur ad proprium locum.

15. Extinctis, ut supra, candelis, Archie-

piscopus resumit Litanias a verbis: *Sancte Sylvester*, et prosequitur usque ad *Agnus Dei*, exclusive.

16. Responso a Choro *Filii Dei Te rogamus* etc. subsistitur tertio a Litaniis.

17. Archiepiscopus mittit senem, idest primum Diaconum indutum Dalmatica ad Poenitentes, dicens: *Diaconus accedat ad Poenitentes*.

18. Senex Diaconus accipit magnum cereum accensum, accedit ad Poenitentes, et stans in dicto limine ostii, cantat Antiphonam: *Levate* etc.

19. Poenitentes, dum haec cantantur, surgunt a prostratione, sed remanent genuflexi.

20. Acolythi accendunt candelas Poenitentium ex cereo Diaconi.

21. Diaconus cum cereo accenso revertitur ad locum suum a dextris Archiepiscopi, ubi tradit Cereum Acolytho, et procumbit, ut prius.

22. Archiepiscopus resumit Litanias a verbis: *Agnus Dei*, easque prosequitur usque ad finem.

§. IV.

De accessu ad medium Ecclesiae.

1. Absolutis Litaniis, omnes, exceptis Poenitentibus, successive surgunt, et procedunt ad locum paratum quasi in medio Ecclesiae hoc ordine.

1. Ostiarii:
2. Caeremoniarius:
3. Clerici:
4. Mansionarii:
5. Familiares Archiepiscopi cum Scutiferis hinc inde:
6. Mazzerius:
7. Thuriferarius cum thuribulo, et Acolythus cum vase aquae benedictae a dextris ejus:
8. Cruciferarius cum Cruce inter Ceroferarios:
9. Canonici omnes non parati ordine eorum:
10. Duo juniores Subdiaconi parati ut supra:
11. Duo alii seniores Subdiaconi item parati:
12. Archipresbyter cum pluviali medius inter Archidiaconum, et primum Diaconum, ut supra, paratos:
13. Minister cum pastorali:
14. Archiepiscopus inter Diaconum, et Subdiaconum:
15. Ministri de libro, bugia, et mitra.

2. Ostiarii, et Clerici omnes se collocant in propriis scamnis hinc inde retro sedilia Canonicorum.
3. Mansionarii in propriis locis in fine sedilium Canonicalium, et apud legile pro schola.
4. Mazzerius, Thuriferarius, Acolythus cum vase aquae benedictae, et Cruciferarius

cum Ceroferariis se disponunt in semicirculum in fine dexteri sedilis Canonicalis, ne Archiepiscopum Ostium respicientem impediant.

5. Canonici omnes per duos choros ab utroque latere Faldistorii disponuntur seriatim versus januam Ecclesiae.
6. Quatuor Subdiaconi in propriis scabellis ad sinistram Faldistorii.
7. Archipresbyter cum Archidiacono, et primo Diacono ad dexteram praedicti Faldistorii.
8. Archiepiscopus in Faldistorio locato quasi in medio Ecclesiae in capite sedilium Canonicalium, et sedet januam Ecclesiae respiciens.
9. Diaconus, et Subdiaconus Archiepiscopi a dextris, et a sinistris ejusdem semicirculum cum antedictis Comministris paratis faciunt, et sedent, sedentibus omnibus.
10. Archidiaconus, facta Archiepiscopo reverentia, comitante Caeremoniario, accedit ad limen ostii, et stans versus Poenitentes, alta voce in tono lectionis dicit: *State in silentio: audientes audite.*
11. Deinde vertens se ad Archiepiscopum, praemissa eidem reverentia, stans in latere ostii ad dexteram ingredientium ex libro super legili locato dicit similiter in tono lectionis: *Adest o Venerabilis Pontifex* etc.
12. Archidiaconus, completa supplicatione, repetita reverentia, accedit ad aliud la-

tus ostii, ad sinistram scilicet ingredientis, Archiepiscopum advenientem expectans.

13. Collocatur aliud Faldistorium in medio ostii, et circa idem aptantur scabella numero novem, et amovetur antedictum legile.

§. V.

De Poenitentium in Ecclesiam Reductione.

1. Absoluta, ut supra, supplicatione remanentibus in locis antedictis Canonicis non paratis, ac reliquis de Clero, Archiepiscopus cum sequentibus ministris accedit ad ostium Ecclesiae hoc ordine:
   1. Caeremoniarius.
   2. Mazzerius.
   3. Thuriferarius cum Acolytho de aqua benedicta.
   4. Cruciferarius inter Ceroferarios.
   5. Quatuor Subdiaconi bini.
   6. Archipresbyter ad dexteram primi Diaconi.
   7. Minister de Pastorali.
   8. Archiepiscopus inter Diaconum, et Subdiaconum.
   9. Ministri de mitra, libro, et bugia.
2. Cruciferarius cum Mazzerio, et Acolythis comministris egreditur Ecclesiam, et sistit e conspectu ostii.
3. Archiepiscopus sedet in Faldistorio in medio ostii cum Ministris paratis a de-

xtris, et a sinistris suis, ut supr. §. IV. n. 6. 7. et 8. pag. 112.

4. Archiepiscopus facit brevem exhortationem Poenitentibus, ut in Pontificali.
5. Deinde accedentibus Ministris de libro, et bugia, surgentibus omnibus Ministris paratis, vocat poenitentes, cantans mediocri voce integram Antiphonam *Venite, Venite, Venite filii* etc.
6. Dum Archiepiscopus cantat supradictam Antiphonam, Poenitentes surgunt, et primus Diaconus dalmatica indutus accedit prope Poenitentes, nempe ad sinistram eorumdem.
7. Completa Antiphona, primus Diaconus, qui, ut supra, accessit prope Poenitentes, stans dicit ex parte Poenitentium: *Flectamus genua*: Poenitentes genuflectunt, Diaconus Archiepiscopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.
8. Archiepiscopus vocat secundo Poenitentes cantans alta voce (a): *Venite* etc. ut supra: primus Diaconus ex parte Poenitentium dicit: *Flectamus genua*: Poenitentes genuflectunt, Diaconus Archiepiscopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.
9. Archiepiscopus tertio vocat Poenitentes, cantans altiori adhuc voce: *Venite* etc. ut prius: Primus Diaconus ex parte Poenitentium dicit: *Flectamus genua*: Poeni-

(a) Ex Pontific. Rom. in Consecr. Virg.

tentes genuflectunt, Diaconus Archiepiscopi respondet: *Levate*, et Poenitentes surgunt.

10. Archiepiscopus surgit, et retracto aliquantulum Faldistorio, ingreditur cum suis Ministris Ecclesiam, et distans ab ostio illius spatio convenienti, sedet.

11. Archidiaconus inchoat Antiphonam: *Accedite ad eum*, quam schola prosequitur cum Psalmo: *Benedicam* etc.

12. Incepta Antiphona, Poenitentes ducti a primo Diacono, ingrediuntur intra ostium Ecclesiae, et corruunt ad pedes Archiepiscopi, et sic prostrati permanent, quousque eis dicatur: *Levate*.

13. Primus Diaconus revertitur ad locum suum post Archidiaconum, et Cruciferarius cum suis Comministris accedit, et sistit in limine ostii.

14. Chorus, et Archiepiscopus cum suis Ministris paratis sedentibus, alternatim prosequuntur dictum Psal. in cujus fine non dicitur. *Gloria Patri*, sed repetitur Antiphona, ut alias.

15. Repetita Antiphona, Archipresbyter accedens quasi ad sinistram Poenitentium versus ad Archiepiscopum, stans dicit in tono lectionis: *Redintegra in eis Apostolice Pontifex* etc.

16. Archiepiscopus interrogat eumdem, dicens: *Scis illos* etc.

17. Archipresbyter respondet: *Scio, et testificor* etc.

18. Diaconus Archiepiscopi dicit: *Levate*; et Poenitentes surgunt a prostratione, et stant.

19. Archiepiscopus surgit, et accipit sinistra sua primum ex Poenitentibus per manum (a) dexteram, in qua hic candelam accensam tenet, et primus Poenitens accipit similiter sinistra sua secundum Poenitentem per manum pariter dexteram; et sic secundus tertium etc. successive.

20. Archipresbyter stans in loco, quo supra, et versus ad Archiepiscopum tenentem, ut dictum est, Poenitentes per manum dicit alta voce:

℣. *Iniquitates meas ego cognosco*,
℟. *Et peccatum meum contra me est semper.*
℣. *Averte faciem tuam a peccatis meis*,
℟. *Et omnes iniquitates meas dele.*
℣. *Redde mihi laetitiam salutaris tui*,
℟. *Et spiritu principali confirma me.*

21. Completis versiculis, ut supra, Archiepiscopus adhuc tenens Poenitentes per manum, inchoat Antiphonam: *Dico vobis*, quam schola prosequitur.

22. Interim amoventur Faldistorium, et scabella.

23. Completa Antiphona, omnes processionali ritu revertuntur ad locum, ut supra, in medio Ecclesiae praeparatum.

24. Archiepiscopus trahit per manum Poe-

(a) Rituale Rom. tit. de Baptismo adulti.

nitentes usque ad suppedaneum Faldistorii, ante quod Poenitentes genuflectunt.

25. Archiepiscopus ad Faldistorium: Ministri parati in propriis scabellis in semicirculum dispositis: Cruciferarius cum comministris e regione Faldistorii.

§. VI.

De ipsa reconciliatione.

1. Archiepiscopus stans super suppedaneum Faldistorii, conversus ad Poenitentes genuflexos, inchoat cum mitra Antiphonam: *Oportet te fili gaudere*, quam schola cum cantu, et ipse legens; prosequuntur.
2. Stans, ut supra, cum mitra dicit in modum orationis: *Omnipotens Deus* etc. sustinente librum Archipresbytero.
3. Deposita mitra tenens manus apertas ante pectus, subjungit Praefationem, quam concludit legendo.
4. Interim disponuntur similiter in modum semicirculi scabella pro Ministris, qui facie versa ad Altare debent mox procumbere.
5. Conclusa praefatione, Archiepiscopus sedet, et accipit mitram, deinde facie versa ad Altare procumbit cum Ministris a dexteris, et a sinistris, ut in Litaniis. (*Hoc tempore Diaconus, et Subdiaconus pro Missa in aula minori paramentorum induuntur dalmatica, et tunicella albi coloris.*)

6. Poenitentes depositis candelis prosternunt se retro Archiepiscopum: Clerus, et populus genuflectit in propriis locis.
7. Unus ex cantoribus inchoat Antiphonam: *Cor mundum*, quam schola prosequitur cum Psalmis: *Miserere mei Deus* etc. 50. 55. et 56. *in ordine Psalterii* sine *Gloria Patri* in fine.
8. Repetita Antiphona post tertium Psalmum *Miserere*, Archiepiscopus deponit mitram, et surgit, surgentibus omnibus, praeter Poenitentes.
9. Archiepiscopus cum Ministris paratis vertit se ad Poenitentes, et accedentibus Ministris de libro et bugia, ac Archipresbytero dicit: *Kyrie eleison etc. Pater noster: Et ne nos etc.*, et subjungit versiculos, et sex orationes, ut in Pontificali.
10. Completa sexta oratione Archiepiscopus sedet, et accipit mitram, et baculum Pastoralem.
11. Sedentibus omnibus Archiepiscopus absolvit Poenitentes dicens: *Dominus Jesus Christus* etc.
12. Completa absolutione accedit ad Archiepiscopum Archipresbyter cum Thuriferario, et Acolytho de aqua benedicta.
13. Archiepiscopus imponit, et benedicit incensum de more.
14. Archiepiscopus surgit cum mitra, et ministrato ei aspersorio ab Archipresbytero dicit: *Exurgite* etc. versus Poenitentes (qui illico surgunt a prostratione,

sed manent utroque genu flexo), et aspergit, et thurificat eosdem.

15. Archiepiscopus sedet: Archipresbyter, et Acolythi ad proprium locum, et omnes ministri, et de clero pariter sedent.

16. Archiepiscopus concedit poenitentibus indulgentiam, prout sibi placuerit.

17. Deinde deponit mitram, et accedentibus Archipresbytero, Cruciferario, ac Ministris de libro, bugia, et pastorali, stans dat solemnem benedictionem dicens: *Precibus*, etc. *Indulgentiam*, etc. *Benedicat vos*, etc. ut in Pontificali.

18. Archiepiscopus sedet cum mitra, et poenitentes recedunt, ut barbam, et crines deponant, et dimissis vestibus poenitentialibus, cultioribus, et mundioribus se induant.

19. Interim accenduntur candelae in Altari Secretarii, apud quod in scabellis consuetis in cornu Epistolae accedunt ex aula minori Diaconus et Subdiaconus cum paramentis albi coloris pro Missa.

20. Eodem tempore disponuntur in Aula majori octo Hastiferi, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septemque Subdiaconi, ut praesto sint pro ingressu in Secretarium.

21. Archiepiscopus cum toto clero, ac Ministris paratis ordine processionali quo venerat, redit in Secretarium, ut in §. 2. n. 12.

22. Ibi Canonici Ministri parati supra Ca-

nonicos non paratos: Archiepiscopus ad sedem cum Diacono, et Subdiacono reconciliationis.

23. Accedentibus Diacono, et Subdiacono Missae cum paramentis albi coloris, recedunt a Secretario omnes parati paramentis violaceis, et ad aulam minorem pro paramentis albi coloris, proprio cujuslibet gradui congruentibus.

24. Archiepiscopus per manus Diaconi, et Subdiaconi Missae deponit paramenta violacea, quibus depositis pulsantur organa.

25. Archiepiscopus deinde accipit paramenta albi coloris pro Missa, ad quam proceditur, ut in hoc Titulo VI. cap. 2. §. 2. num. 4.

CAP. IV.

De Completorio hujus diei, et de Matutino Feriae VI. in sero hujus Feriae V. absolvendo.

§. I.

De Completorio.

1. Signum cum crotalo.
2. Hora competenti omnes in Choro, Cruci genuflectentes, etiam Canonici, ut supra.
3. Dicitur Completorium sine cantu, et sine (a) luminibus.

(a) Bauld. p. 4. c. q. art. 5. n. 23.

4. Initium habet a Confessione, et absolutione, omissis aliis praecedentibus.
5. Successive post Psalmos dicitur Canticum *Nunc dimittis* etc. ℣. *Christus* etc. *Miserere* etc. et Or. *Respice* etc.
6. Non dicit. in fine *Pater noster*, nec *Ave* nec *Credo* (a).
7. Cantatur deinde Planctus B. Virginis Mariae, videlicet: *Stabat Mater dolorosa* etc. loco Officii (1) Mariani ex institutione Eminentissimi Archiepiscopi Ursini.

§. II.

De Matutino Feriae VI.

1. Sedes Archiepiscopi erit nuda, sicut et Altare.
2. Archiepiscopus solito comitatu ad Ecclesiam, ut in Feria praecedenti ad Matutinum.
3. Accedit ad Sacellum, ubi asservatur Sacramentum in Capsula: deinde ad Altare Majus pro oratione, genuflectens Cruci, ut supra.
4. Procedit ad Chorum, et Cantatur Matutinum cum Laudibus, in quibus omnia pro primo Matutino dicta observantur.

(a) Gavant. et Bauld. hic.
(1) *Hic ritus canendi Planctum B. M. V. servatur in Ecclesia Beneventana, ex peculiari Statuto illius Ecclesiae.*

5. In fine laudum ad ℣. *Christus* additur: *Mortem autem Crucis.*
6. Datur signum Salutationis Angelicae cum Crotalo.
7. Omnes tandem, adorato Sacramento, recedunt.(1)

(1) *Vide secundam appendicem in fine hujus memorialis.*



TITULUS VII.

DE FERIA VI. IN PARASCEVE

ARCHIEPISCOPO FACIENTE OFFICIUM

CAP. I.

De praeparandis pro hujus Feriae Officio.

In Secretario,

1. *Altare undequaque nudum, excepta mensa, unica tantum tobalea cooperta.*
2. *Crux in eo, velo nigro tecta, et candelabra ex aurichalco cum cereis extinctis ex cera communi.*
3. *Paramenta Pontificalia nigri coloris supra illud, videlicet.*
   1. *Mitra simplex.*
   2. *Gremiale, planeta, dalmatica, tunicella, stola, Crux pectoralis simplex, manipulus, cingulus nigri coloris, alba, amictus, et superpelliceum: omnia velo serico nigro cooperta.*
   3. *Faldistorium ex aurichalco nudum cum*

duobus pulvinaribus nigri coloris pro Nona ante Altare.

4. *Pulvinar ejusdem coloris in Sede Pontificali nuda.*
5. *Duo scabella ibidem.*
6. *Duo alia scabella prope Altare pro Diacono et Subdiacono.*
7. *Sedilia hinc inde disposita pro deferentibus hastas baldachini cum Pluvialibus.* (1)

In Abaco, seu credentia ejusdem Secretarii.

1. *Mantile, quod planitiem non excedat.*
2. *Liber canonis, et Bugia cum candela cerae communis extincta.*
3. *Bacile, et buccale, et patera argentea sine auro, et coelaturis pro abluendis manibus, et mantilia pro abstersione earumdem, et pro gremio.*
4. *Duo manipuli, et planetae pro Diacono, et Subdiacono.*
5. *Duo candelabra cum candelis ex cera communi extinctis pro Ceroferariis.*

In Aula minori paramentorum.

1. *Stola nigri coloris pro Diacono.*
2. *Tres stolae, tres manipuli ejusdem coloris, et totidem Missalia pro cantoribus Passionis.*
3. *Tria pluvialia pro Ministris, et planeta plicata pro Crucifero.*

(1) *8. Foculus cum igne et forcipe.*

In Aula majori paramentorum.

1. *Pluvialia, planetae, et planetae plicatae nigri coloris pro Dignitatibus et Canonicis in Secretario vestiendis.*
2. *Octo alia pluvialia pro Presbyteris, hastas baldachini deferentibus.*

In Altari Majori.

1. *Altare undequaque nudum cum Sex tantum candelabris ex aurichalco cum cereis extînctis cerae communis.*
2. *Crux lignea in eo, velo nigro taliter cooperta, ut facilius removeri possit.*
3. *Ligneus pes pro sustinenda Cruce Archiepiscopali a latere Evangelii cum scabello pro Cruciferario.*
4. *Tria pulvinaria violacea in ambone pro Passione; Tabella Indulgentiarum pro Concionatore.*
5. *Pulvinar nigrum pro Archiepiscopo apud Abacum.*
6. *Crux Capituli pro Processione.*

In Abaco, seu Credentia Altaris Majoris.

1. *Mantile lineum, quod planitiem Abaci non excedat.*
2. *Mappa unica plicata pro Altari, quae pariter planitiem Altaris non excedat.*
3. *Legile cum Missali cum tegumento nigro pro Archiepiscopo.*

4. *Epistolarium pro Lectionibus.*
5. *Stola latior pro Diacono.*
6. *Crotalum pro Signo.*
7. *Velum humerale nigrum cum pelvi argentea pro calceis.*
8. *Libelli pro improperiis.*
9. *Bursa nigri coloris cum corporali, et purificatorio.*
10. *Velum parvum nigrum pro Calice reportando post Officium.*
11. *Bacile, buccale, et patera argentea sine auro, et caelaturis pro lotione manuum, et duo mantilia pro abstersione earumdem, et pro gremio.*
12. *Duo thuribula cum navicula.*
13. *Vasa pro praegustatione, et ampullae aquae, et vini.*
14. *Octo candelae ex cera alba, tradendae octo Hastiferis post regressum Processionis.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Faldistorium ex aurichalco nudum cum duobus pulvinaribus nigri coloris.*
2. *Quinque alia pulvinaria pro Ministris procumbentibus.*
3. *Sedilia hinc inde in Presbyterio pro octo delaturis hastas baldachini.*
4. *Duo legilia cum libris improperiorum in Choro.*
5. *Pulvinar nigri coloris in Sede Pontificali nuda: et aliud similiter in prima Sede Chorali.*

6. *Propc gradus ambonis tapes grandis, pannus violaceus, pulvinar magnum sericum villosum violaceum auro contextum, velum album serico violaceo intertextum, et lanx argentea pro oblationibus Cleri, et virorum de populo* (1).

In Sacristia SS. Sacramenti.

1. *Tapes, pulvinar, velum, et lanx pro Cruce adoranda a mulieribus.*
2. *Stola nigra pro Cappellano.*

In Sacello parato pro Sepulchro.

1. *Pulvinar nigri coloris.*
2. *Velum humerale album pro Archiepiscopo.*
3. *Baldachinum album cum hostiis.*
4. *Intorticia, et cerei pro Canonicis, et aliis de Clero.*
5. *Scabellum graduatum pro extrahendo Calice* (2).

(1) *Tria legilia nuda prope gradus Presbyterii in cornu Evangelii pro cantanda Passione, si Ecclesia Ambone careat.*
(2) *6. Alterum Thuribulum* (Caerem. Episc. lib. II, cap. 25, num. 31.



CAP. II.

De sacris ritibus in Feria VI, in Parasceve peragendis.

§. I.

De principio Officii usque ad accessum ad Altare.

1. Signum cum crotalo.
2. Dicuntur Horae minores in Choro usque ad Nonam exclusive sine luminibus.
3. Archiepiscopus cum cappa ad Ecclesiam cum Cruce, et solito comitatu, absque Mazzerio.
4. In ingressu Ecclesiae Archiepiscopus, deferens sibi caudam cappae vadit ad Sacellum, ubi servatur SS. Sacramentum, ibique dimittens eam, orat, et inde ad Secretarium eodem modo, ubi orat.
5. Postea facta Altari reverentia cum genuflexione, et cooperto capite cum caputio cappae, trahens per terram caudam extensam; vadit ad propriam Sedem solus, ibique sedet, omnibus pariter sedentibus.
6. Archiepiscopus, detecto capite, surgit, et dicit *Pater* et *Ave.*
7. Chorus incipit, et prosequitur Nonam, et Archiepiscopus sedens, dictam Horam recitat cum eodem, *(nec recipit hac die sandalia).*

8. Sedent omnes, et Clerici pariter in gradibus Altaris, et Sedis.
9. Interim Diaconus, et Subdiaconus in aula minori pro paramentis.
10. In fine Psalmorum Archiepiscopus descendit ad Faldistorium, trahens caudam cappae, ut supra, et genuflectit, dum dicitur ℣. *Christus factus est* etc. Psal. *Miserere* etc. et oratio, quam ipsemet recitat.
11. Archiepiscopus eodem modo ad Sedem solus: interim Diaconus et Subdiaconus in albis ex aula minori accedunt apud Altare.
12. Ministri de libro et bugia cum candela extincta apud Archiepiscopum pro orationibus ad paramenta, incipiendo (a) ab ea: *Exue me Domine.*
13. Archiepiscopus sedens deponit cappam, et lavat manus, accedente Presbytero assistente tantum, *qui hac die erit Digniori proximus*, et statim recedit.
14. Diaconus, et Subdiaconus ad Archiepiscopum, sequentibus Acolythis cum paramentis Missalibus, demptis chirothecis, pallio, et pastorali.
15. Eodem tempore Acolythi cum paramentis Canonicorum ex aula majori in Secretarium.
16. Archiepiscopus induitur paramentis, et etiam manipulo post cingulum.

(a) Caerem. Ep. lib. 2. cap. 11.

17. Canonici pariter in propriis locis accipiunt sua, et mitras.
18. Cruciferarius cum planeta plicata, et Ministri tres cum pluvialibus ex aula minori, ac octo Canonici Collegiatarum pro hastis pariter cum pluvialibus ex aula majori ad Secretarium.
19. Diaconi cum Presbytero assistente ad Archiepiscopum.
20. Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella pro manipulis, et planetis plicatis.
21. Omnes interim tantisper sedent.
22. Proceditur deinde ad Altare hoc ordine:
    1. Caeremoniarius.
    2. Clerici Seminarii, et alii de Clero.
    3. Mansionarii.
    4. Familiares Archiepiscopi cum scutiferis hinc inde non interrumpentibus procedentes.
    5. Cruciferarius paratus cum Cruce velata inter Ceroferarios candelas extinctas deferentes.
    6. Octo Canonici Collegiatarum cum pluvialibus (1).
    7. Canonici Metropolitanae ordine eorum:
    8. Subdiaconus sine libro.

(1) *Beneficiati hastas Baldacchini delaturi possunt se indui superpelliceo, si desunt pluvialia* (Caerem. Epis. cit. cap. 25.)

9. Presbyter assistens cum Diacono a sinistris.
10. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes.
11. Tres Ministri parati.
12. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

23. In discessu e Secretario servantur ea, quae supra diximus in Feria V. (a) cum hoc tamen, quod omnes Cruci genuflectunt.

24. Ad Altare debitis genuflexionibus, sic se recipit quisque ad locum suum:
1. Clerici partim ad credentiam, partim ad gradus laterales Altaris, reliqui ad gradus inter Presbyterium, et Chorum; et qui ex his sunt Cantores, ad gradus Sedis Pontificalis in Choro.
2. Mansionarii, et Canonici in suis sedilibus in Choro.
3, Octo pro hastis ad sua sedilia in Presbyterio.

25. Archiepiscopus ante Altare super Faldistorio nudo genuflectit, et deposita mitra ministerio Diaconi Evangelii procumbit, et orat prolixe.

26. Procumbunt etiam Canonici Ministri Archiepiscopi super suis pulvinis hoc ordine:
1. Presbyter assistens a dextris Archiepiscopi.
2. Diaconus Evangelii a sinistris.
3. Subdiaconus a sinistris Diaconi modicum retro.

(a) Pag. 58. num. 14.

4. Diaconi assistentes directe post Archiepiscopum.
27. Tres Ministri parati pro mitra, libro, et bugia a sinistra Cruciferi genuflectunt.
28. Ceteri omnes pariter genuflectunt in propriis locis spatio unius *Miserere*, et Canonici sine mitris.
29. Interim per Caeremoniarios extenditur, scilicet per longum, mappa super Altare, non explicando eam per latitudinem, ita tamen, ut duplicatio sit versus medium Altaris, et partis explicandae versus frontem ejusdem Altaris.

§. II.

De accessu ad Altare, et principio Officii usque ad Passionem.

1. Archiepiscopus surgit, surgentibus omnibus, et statim amovetur Faldistorium, et locatur in suppedaneo Altaris in cornu Epistolae ita, ut anterior illius pars sit versus cornu Evangelii: amoventur etiam pulvinaria, et reportantur in Scerophylacium.
2. Archiepiscopus ascendit ad Altare, quod in medio osculatur.
3. Sedet deinde in Faldistorio in cornu Epistolae versa facie ad cornu Evangelii, et accipit mitram, et gremiale, ministrante Diacono Evangelii.
4. Ministri pariter sedent ad Altare hoc ordine:

1. Presbyter assistens prope, et ad pedes Archiepiscopi.
2. Diaconus Evangelii post dictum Presbyterum.
3. Subdiaconus post Diaconum praedictum.
4. Primus Diaconus assistens post Subdiaconum.
5. Secundus Diaconus assistens post primum.

5. Hi omnes recta linea, ut supra, dispositi, stantes in secundo gradu, versis ad Altare faciebus, Archiepiscopo se inclinant, postea Cruci genuflectunt, et tandem vertentes se per humerum dexterum, sedent in suppedaneo, et mitras sibi imponunt.

6. Eodem tempore tres Ministri parati in plano anteriori recta linea, et decem Acolyhi hinc inde in plano laterali, versi omnes ad Altare, genuflectunt Archiepiscopo, et Cruci, ac sedent in infimo gradu.

(Istorum Acolythorum partes erunt, ut qui sedent post terga Archiepiscopi, inserviant pro gremiali, et véste, et Faldistorio, qui ex altera parte, unus vesti Archiepiscopi inserviat, alteri quatuor Canonicorum mitras, cum opus erit, teneant.)
(Supradictus sessionis modus servatur, quoties sedendum erit.)

7. Tunc Mansionarius deputatus, comitante Caeremoniario, facta genuflexione Cruci,

Ministro de bugia: Diaconus, et Subdiaconus unus post alium: Diaconi assistentes tenent locum, ut in Missis, ante medium Altaris.

15. Archiepiscopus dicit: *Oremus*, Diaconus: *Flectamus genua* (ad quod omnes praeter Archiepiscopum genuflectunt); Subdiaconus subjungit: *Levate* (ad quod omnes surgunt) et Archiepiscopus dicit orationem: *Deus, a quo* etc.

16. Reposito Faldistorio, ut prius, Archiepiscopus sedet cum mitra, et gremiali.

17. Interim Subdiaconus ad credentiam deponit planetam plicatam, accipit librum, et post debitas Cruci, et Archiepiscopo reverentias in medio, procedit ad legile in ambone, et interim omnes sedent.

18. Idem Subdiaconus cantat aliam Prophetiam in tono Epistolae, qua completa surgunt Ministri sedentes in gradibus Altaris, et Chorus eodem tempore cantat Tractum: *Eripe me Domine* etc.

19. Subdiaconus interim ante Altare facit reverentias debitas Cruci, et Archiepiscopo, et sine osculo manus recedit, accipit planetam plicatam, et revertitur ad assistentiam in loco suo.

20. Archiepiscopus immediate post Prophetiam, accedentibus Ministris de libro, et bugiā, legit eandem cum tractu, adstantibus Canonicis Ministris, ut supra.

§. III.

De Passione usque ad Crucis denudationem.

1. Dum Chorus in Tractu cantat versiculum: *Domine*, *Domine virtus* etc. Cantores pro Passione procedunt ad Altare hoc ordine:
   1. Caeremoniarius.
   2. Canonicus pro parte Textus.
   3. Canonicus pro parte Turbae.
   4. Canonicus pro parte Christi, singuli cum libro, et Mitra.
   5. Tres Acolythi successive unus post alium.
2. In ingressu Presbyterii Canonici Cantores deponunt mitras, et omnes factis reverentiis Altari, et Archiepiscopo, sine osculo manus accedunt ad Ambonem.
3. Archiepiscopus, deposito gremiali, et mitra, et amoto Faldistorio, stat in cornu Epistolae versus Cantores, legens Passionem.
4. Presbyter assistens apud librum cum Ministro de bugia: Diaconus vero Evangelii, Subdiaconus Epistolae, et duo Diaconi assistentes stant in plano Epistolae (a) recta linea versus Cantores Passionis, et Ministri de libro, et mitra post terga illorum.
5. Cantatur Passio, et ad verba: *Tradidit Spiritum*, omnes genuflectunt in locis suis

(a) Bauld. p. 5. l. 2. cap. 25. n. 17. Caer. Ep. hic.

versa facie ad Altare; Cantores autem versus librum.

6. Finita Passione reponitur Faldistorium, ut prius, et Archiepiscopus sedet cum mitra et gremiali.
7. Cantores Passionis redeunt ad Secretarium cum debitis reverentiis, resumentes mitras in egressu Presbyterii.
8. Archiepiscopus interim, accedentibus Ministris de libro, et bugia, et aliis Ministris Canonicis stantibus in secundo gradu, ut supra, ante Altare praeter Diaconum, legit, praemisso: *Munda cor meum*, eam partem, quae cantanda est in tono Evangelii.
9. Interim Diaconus Evangelii deponit apud Abacum planetam plicatam, et acceptis stola latiori, et libro, accedit ad Altare.
10. Idem, facta genuflexione Cruci, et reverentia Archiepiscopo in plano, ascendens, ponit librum super Altare; deinde descendens, vertendo se per humerum dexterum, in secundum gradum, genuflectit in suppedaneo, et dicit: *Munda cor meum.*
11. Surgit, accipit librum, et absque benedictione, et osculo manus, descendit in planum: ibi una cum Subdiacono, et duobus Acolythis manus junctas tenentibus sine luminibus, facit debitas reverentias Cruci, et Archiepiscopo, et omnes procedunt ad Ambonem (1) sine incenso.

(1) *Vel apud Legile in cornu Evangelii locatum, ut supra.*

12. Archiepiscopus per manus Diaconorum assistentium deponit gremiale, et mitram, et stat in eodem cornu Epistolae versus Diaconum, non amoto Faldistorio.

13. Cantatur ultima pars Passionis in tono Evangelii: et tunc Presbyter, et Diaconi assistentes se recipiunt in plano Epistolae versi ad Diaconum.

14. Finita ea parte Passionis, Archiepiscopus non osculatur librum, (1) sed sedet, et accipit mitram, et gremiale per Diacones assistentes, qui una cum Presbytero vadunt ad loca sua in secundo gradu.

15. Diaconus, et Subdiaconus ex ambone (relicto libro in manu unius ex Acolythis) ad Altare cum debitis reverentiis in plano, et cum Presbytero, et Diaconis assistentibus se disponunt, ut supra, in secundo gradu, stantes.

16. Concionator per Caeremoniarium ad Archiepiscopum pro Indulgentiis tantum, deinde ad ambonem.

17. Omnes sedent, et fit sermo de Passione Domini.

18. In fine Concionator publicat Indulgentias ex ambone, stantibus omnibus praeter Archiepiscopum.

(1) *Si concio de Passione Domini alicubi facta fuerit de sero Feriae V. in Coena Domini, vel fiet extra Officium hujus diei, tunc Archiepiscopus statim versus ad Altare incipit monitiones, et Orationes, ut infra num. 19. omissis omnibus notatis in num. 14. 15. 16. 17. et 18,*

19. Archiepiscopus deposito gremiali, et mitra, et remoto Faldistorio, in cornu Epistolae versus Altare incipit monitiones, et orationes, ut in Missali, stantibus Presbytero assistente ad librum cum Ministro de bugia, Diacono, et Subdiacono uno post alium, et Diaconis assistentibus in medio ante Altare, ut in Missis Pontificalibus.

20. Ad singulas orationes, octava excepta, Diaconus, et Subdiaconus dicunt: *Flectamus genua*, et *Levate*, ut supra, hac die in prima oratione. §. 2 n. 1. 5. pag. 133.

§. IV.

De Crucis denudatione.

1. Dum dicuntur ultimae Orationes, extenditur ante gradus ambonis in plano Ecclesiae tapete magnum per longum: secundo pannus violaceus per latum super tres ultimos gradus inferiores ejusdem Ambonis: tertio super hoc panno apponitur pulvinar magnum villosum sericum violaceum auro contextum; locando illud in infimo, et secundo dictorum graduum: quarto super pulvinari extenditur per longum velum album pulchrum serico violaceo intertextum.

2. Idem fit in gradibus Altaris Sacelli, in quo solet asservari SS. Sacramentum pro adoratione facienda a mulieribus.

3. Completis orationibus, Faldistorium iterum in Altari, ut prius.
4. Archiepiscopus apud Faldistorium deponit planetam tantum, et remoto Faldistorio descendit ad angulum posteriorem Epistolae, et se collocat in secundo gradu versa facie ad Chorum, expectans Crucem.
5. Presbyter assistens, accepto Missali descendit in infimum gradum ejusdem posterioris cornu, renibus ad populum versis.
6. Subdiaconus apud Archiepiscopum in plano.
7. Diaconi assistentes ante Altare, ut in Missis Pontificalibus.
8. Diaconus accedit ad medium Altaris, ibique facta prius genuflexione, accipit de manu Sacristae Crucem ejusdem Altaris jam coopertam velo nigro solutili.
9. (1) Diaconus Crucem tradit Archiepiscopo stanti, ut supra, qui eam devote ac-

(1) Si Ecclesia non habeat Altare ad Orientem, seu sub Tribuna, serventur infrascripta ad num. 9. et 10.

9. Diaconus Crucem tradit Archiepiscopo stanti in secundo gradu ad angulum posteriorem cornu Epistolae versa facie ad Chorum, et populum.

10. Mox ipse Diaconus recipit se in secundo gradu Altaris quasi ad dexteram Archiepiscopi, Subdiaconus descendit in gradu inferiori quasi ad sinistram Archiepiscopi.

cipit, et cum ea se vertit per humerum dexterum versus populum.

10. Diaconus se recipit in gradu inferiori Altaris ad dexteram Archiepiscopi: Subdiaconus vero ascendit ad secundum gradum, quasi ad sinistram Archiepiscopi.

11. Archiepiscopus sinistra tenens Crucem, dextera detegit summitatem illius usque ad transversum ejusdem Crucis exclusive, et eam ambabus manibus aliquantulum elevans, scilicet usque ad altitudinem oculorum (a), ex libro a Presbytero assistente ministrato cantat, surgentibus omnibus: *Ecce lignum Crucis.*

12. Caeremoniarius, Ministri, et Cappellani prosequuntur: *In quo salus mundi pependit* (a).

13. Chorus respondet, genuflectentibus, et caput inclinantibus omnibus praeter Archiepiscopum: *Venite adoremus*, et statim surgunt.

14. Archiepiscopus accedit ad anteriorem partem cornu Epistolae, ibique medius inter Diaconum, et Subdiaconum discooperit brachium dexterum Crucis, et caput Crucifixi, et magis elevans Crucem, et vocem (b) secundo cantat: *Ecce lignum Crucis.*

15. Caeremoniarius, Ministri, et Cappella-

(a) Paris Cras. lib. 2. cap. 47.
(b) Gavant. hic.

ni, ut supra, prosequuntur: *In quo salus mundi pependit.*
16. Chorus iterum respondet: *Venite adoremus;* et genuflectunt omnes, ut prius.
17. Archiepiscopus tandem in medio Altaris totam discooperiens Crucem, ac altius manum, et vocem elevans, cantat tertio: *Ecce lignum Crucis.*
18. Ministri, et Chorus respective tertio prosequuntur, respondent, et genuflectunt ut supra.
19. Caeremoniarius ponit lancem a latere sinistro pulvinaris, ad dexteram scilicet Adorantium, et tunc discooperitur Crux Archiepiscopalis, et aliae omnes per Ecclesiam.
20.(1) Archiepiscopus descendens per gradus laterales Epistolae tam Altaris, quam ambonis, solus portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum.
21. Ibi genuflexus collocat Crucem super velum pulvino superpositum, firmans eam cordulis, adjuvante Caeremoniario.
22. Cantores incipiunt (a) Improperia.

(1) *In iisdem Ecclesiis, ut supra dictum est, Archiepiscopus descendens per gradus anteriores Altaris, solo Caeremoniario comitante, et deinde per gradus Presbyterii aliquantulum versus cornu Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum.*

(a) Caerem. Rom. lib. 2. sect. 1. cap. 51.

23. Interim Presbyter assistens, Diaconus, et Subdiaconus, ac Diaconi assistentes se recipiunt in plano Epistolae, rectam facientes lineam.
24. Faldistorium super suppedaneo Altaris, ut prius; Cappellanus, et Acolythi cum Scutifero ad Abacum pro calceamentis Archiepiscopo extrahendis.
25. Archiepiscopus, firmata Cruce surgit, ex facta iterum genuflexione, revertitur ad Altare (1), ascendens gradus laterales Evangelii tam ambonis quam Altaris; et facta eidem Altari reverentia (b) sedet in Faldistorio, remanente interim prope Crucem aliquo Cappellano genuflexo, tamquam Custode.
26. Dum Archiepiscopus ascendit Altare Diaconus, Subdiaconus, et Diaconi assistentes accedunt ante gradus anteriores Altaris in plano.
27. Archiepiscopus accipit mitram per Diaconum, et Subdiaconum.
28. Accedunt per gradus laterales Evangelii Cappellanus cum velo ad humeros nigro, et pelvi, duo Acolythi, et Scutifer ad Archiepiscopum, et illi calceamenta detrahunt.
29. Eodem tempore Presbyter assistens pro-

(1) *Ascendens gradus Presbyterii versus cornu Epistolae, vadit ad altare ascendens per gradus anteriores illius.*

(b) Bauld. p. 1. c. 10. art. 5. n. 9.

pe Abacum, et Canonici in Choro, inservientibus Clericis, deponunt calceos, sicut faciunt ceteri omnes de Clero successive in locis suis; Clerici vero in vestibulo Chartophylacii. (1)

§. V.

De adoratione Crucis usque ad Processionem.

1. Archiepiscopus deponit mitram, et facta reverentia Altari, medius inter Diaconos assistentes, nudo capite, trahens sibi caudam, ac exiens (2) per cancellos Presbyterii lateris Epistolae, vadit ad adorationem Crucis per longiorem viam, scilicet per navem lateralem, et postea per navem mediam usque ad principium tapetis strati.
2. Successive sequuntur bini pro adoratione debita cum distantia:
   1. Omnes Canonici, inter quos ordine suo Presbyter, et Diaconi assistentes, Diaconus, et Subdiaconus.
   2. Vicarius generalis, et Protonotarii.
   3. Mansionarii parati cum pluvialibus.
   4. Octo Canonici Collegiatarum cum pluvialibus pro hastis.
   5. Cruciferarius sine Cruce.

(1) *Vel in locis suis.*
(2) *Descendens ex Altari, et e Presbyterio versus cornu Evangelii vadit ad adorationem,*

6. Mansionarii non parati.
7. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, et alii Clerici secundum ordinem eorum.
8. Sodales Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti.
9. Reliqui de populo viri.

3. Archiepiscopus medius inter duos Diaconos, ut supra, ad principium tapetis genuflectit utroque genu, et orat aliquantulum. Postea surgens incedit usque ad medietatem tapetis, et genuflectit, ac orat secundo; tandem accedit ad pedes Crucis, et ibi tertio genuflectit, orat, offert pecuniam; et osculatur Crucem, vel potius (a) pedem Crucifixi. Surgit postea, genuflectit unico genu, et procedens per gradus (1) alterius navis lateralis, revertitur per cancellos Presbyterii lateris Evangelii ad Altare, ubi sedet in Faldistorio sine mitra.

4. Accedentibus Diacono, et Subdiacono ad Archiepiscopum, Diaconi assistentes ad Abacum, dimittunt calceamenta, et procedunt ad adorationem loco suo inter Canonicos.

5. Tunc accedunt Cappellanus, et alii sui

(a) Bauld. p. 4. c. 10. art. 3. n. 8. Biss. lit. A. n. 155. §. 1.

(1) *Ascendens, ut supra dictum est, gradus Presbyterii versus cornu Epistolae revertitur ad Altare.*

Comministri, et ponunt calceamenta Archiepiscopo.

6. Archiepiscopus per Diaconum, et Subdiaconum accipit (a) planetam, mitram, et gremiale, qui deinde recedunt ad Abacum pro dimissione calceorum suorum, (1) et sequuntur alios, suo quisque loco pro adoratione.

7. Interim (*ne Archiepiscopus solus remaneat Sedens in Altari*) decem Acolythi destinati, ut supra, pro gradibus Altaris, stabunt ante Altare in plano, recta linea, donec omnes Ministri parati redeant ad Archiepiscopum.

8. Post Archiepiscopum succedunt reliqui, prout supra, ita ut quando Archiepiscopus genuflectit secundo, duo primi de Canonicis faciant in principio tapetis suam primam genuflexionem, et orationem, surgentes eodem tempore, quo surgit Archiepiscopus; cum vero Archiepiscopus incedit ad pedes Crucis, incedunt et illi usque ad medium tapetis; et interim duo secundi Canonici ad principium tapetis, et quando Archiepiscopus genuflectit, et orat tertio, eodem tempore subsequentes quatuor in spatiis suis genuflectunt, et orant. Completa adoratione ab Archie-

(a) Caer. Ep. novis. lib. 2. c. 25. contra Gastald.

(1) *Diaconus et Subdiaconus apud Abacum dimittunt etiam manipulum* (S. R. C. 15 Sept. 1736. Toletan.)

piscopo, et eo surgente, surgunt pariter dicti quatuor, et expectant aliquantisper, donec Archiepiscopus genuflectat, et discedat; tunc incedunt primi ad pedem Crucis, secundi ad medium tapetis, et interim alii duo accedunt ad principium tapetis, et genuflectentibus primis, genuflectunt, et alii quatuor in locis suis, et orant. (Haec autem methodus sit pro omnibus aliis cujuscumque ordinis.)

9. Singuli post adorationem redeunt per eandem viam, qua Archiepiscopus, ad loca sua, resumunt calceamenta, factis prius Altari, et Archiepiscopo reverentiis; et reversis, et calceatis omnibus Canonicis, et Protonotariis, sedent Canonici cum mitris, suoque tempore sedebunt alii non ministraturi.

10. Reversis Ministris omnibus paratis (1) et calceatis, recedunt decem Clerici supradicti pro deponendis suis calceis in dicto vestibulo Chartophylacii, et procedunt et ipsi ad adorandam Crucem.

11. Accedentibus tunc ad Archiepiscopum Ministris de libro, et bugia, et stantibus Canonicis Ministris in secundo gradu more solito, Archiepiscopus legit *Improperia* alternatim cum Diacono; et Subdiacono, prout infra; quibus finitis, Ministri omnes, ut alias, sedent in gradibus Altaris.

(1) *Resumptis manipulis a Diacono et Subdiacono.*

Improperia recitanda ab Archiepiscopo cum suis Ministris.

PRIMA PARS.

Arch. ℣. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.
℣. Quia eduxi te de terra Ægypti, parasti Crucem Salvatori tuo.
Diac. ℟. Agios o Theos.
Subd. — Sanctus Deus.
Diac. — Agios ischyros.
Subd. — Sanctus fortis.
Diac. — Agios athanatos eleison imas.
Subd. — Sanctus immortalis, miserere nobis.
Arch. ℣. Quia eduxi te per desertum quadraginta annis, et manna cibavi te, et introduxi te in terram satis bonam, parasti Crucem Salvatori tuo.
Diac. ℟. Agios o Theos.
Subd. Sanctus Deus.
Diac. — Agios ischyros.
Subd. — Sanctus fortis.
Diac. — Agios athanatos eleison imas.
Subd. — Sanctus immortalis miserere nobis.
Arch. ℣. Quid ultra debui facere tibi, et non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara; aceto namque sitim meam potasti, et lancea perforasti latus Salvatori tuo.
Diac. ℟. Agios o Theos,
Subd. — Sanctus Deus.

Diac. — Agios ischyros.
Subd. — Sanctus fortis.
Diac. — Agios athanatos eleison imas.
Subd. — Sanctus immortalis miserere nobis.

SECUNDA PARS.

Arch. ℣. Ego propter te flagellavi Ægyptum cum primogenitis suis, et tu me flagellatum tradidisti.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego eduxi te de Ægypto, demerso Pharaone in mare rubrum, et tu me tradidisti Principibus Sacerdotum.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego ante te aperui mare, et tu aperuisti lancea latus meum.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego ante te praeivi in columna nubis, et tu me duxisti ad Praetorium Pilati.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego te pavi manna per desertum, et tu me cecidisti alapis, et flagellis.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego te potavi aqua salutis de petra, et tu me potasti felle, et aceto.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego propter te Chananaeorum Reges percussi, et tu percussisti arundine caput meum.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego dedi tibi sceptrum regale, et tu dedisti capiti meo spineam coronam.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

Arch. ℣. Ego te exaltavi magna virtute, et tu me suspendisti in patibulo Crucis.

Diac. et Subd. ℟. Popule meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi.

TERTIA PARS.

Arch. Crucem tuam adoramus Domine, et Sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim

propter lignum venit gaudium in universo mundo.

Psal. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis.

Diac. et Subd. Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Arch. Crucem tuam adoramus Domine, et Sanctam Resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus: ecce enim propter lignum venit gaudium in universo mundo.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Arch. Pange lingua gloriosi lauream certaminis, et super Crucis trophaeo dic triumphum nobilem: qualiter Redemptor orbis immolatus vicerit.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis; nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

Arch. De parentis protoplasti fraude Factor condolens, quando pomi noxialis in necem morsu ruit; ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.

Diac. et Subd. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Arch. Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat: multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde, hostis unde laeserat.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine.

Arch. Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce Patris Natus orbis conditor, atque ventre virginali carne amictus prodiit.

Diac. et Subd. Dulce lignum, dulce clavos, dulce pondus sustinet.

Arch. Vagit infans inter arcta conditus praesepia, membra pannis involuta Virgo mater alligat, et Dei manus pedesque stricta cingit fascia.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert fronde, flore, germine.

Arch. Lustra sex qui jam peregit, tempus implens corporis: sponte libera Redemptor passioni deditus: Agnus in Crucis levatur immolandus stipite.

Diac. et Subd. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Arch. Felle potus ecce languet, spina, clavi, lancea mite corpus perforarunt, unda manat, et cruor; terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis: nulla sylva talem profert fronde, flore, germine.

Arch. Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera, et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas, et superni membra Regis tende miti stipite.

Diac. et Subd. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

Arch. Sola digna tu fuisti, ferre mundi victimam, atque portum praeparare Arca mundo naufrago, quam Sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.

Diac. et Subd. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine.

Arch. Sempiterna sit Beatae Trinitati gloria, aequa Patri, Filioque, par decus Paraclito, unius, trinique nomen laudet universitas: Amen.

Diac. et Subd. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinet.

12. Eodem tempore Cappellanus superpelliceo, et stola nigra indutus, ex Altari, in quo asservari solet Sacratissimum Sacramentum, desumit Crucem jam denudatam, et devote collocat super velo, et pulvinari, uti supra, pro adoratione a mulieribus facienda; ibique assistit genuflexus versus cornu Epistolae.

13. Circa finem adorationis Crucis accenduntur cerei Altaris, et credentiae.

14. Surgunt deinde omnes Ministri, qui sedebant in gradibus Altaris, et facta reverentia Altari; et Archiepiscopo, Diaconus, et Subdiaconus accedunt per planum, alter ad cornu Evangelii, alter ad Epistolae, et explicant tobaleam Altaris: deinde Diaconus ad Abacum, Subdiaconus ad locum suum.

15. Diaconus portat de more elevatam bursam cum corporali incluso, et super eam purificatorium ad Altare, extrahit, et explicat corporale, et ponit prope illud in parte Epistolae purificatorium: quo facto, cum debitis reverentiis redit ad locum suum.

16. Minister paratus portat librum super legili ad Altare, et collocat in parte Evangelii apertum, et inversum, ut in Missis.

17. Finita adoratione Diaconus, Caeremoniario comitante, descendit per (1) latus Epistolae gradus ambonis, et facta ante Crucem genuflexione, accipit illam, et ambabus manibus elevatam usque ad oculos per latus Evangelii defert ad Altare, nulli faciens reverentiam.

18. Adveniente Cruce, Archiepiscopus deponit gremiale, et mitram, surgit, et genuflectit; et omnes alii id faciunt.

19. Reponitur Crux per Diaconum ad locum suum, adjuvante Sacrista, et Archiepiscopus sedet cum mitra sedentibus omnibus.

20. Removentur tapetia, panni, pulvinaria, et vela strata ante gradus ambonis, et ante gradus Sacelli SS. Sacramenti.

(1) *In Ecclesiis, ut saepe dictum, descendit versus latus Evangelii gradus Presbyterii, et ascendit versus latus Epistolae cum Cruce.*

§ VI.

De Processione ad Sacellum, et regressu ad Altare cum SS. Sacramento.

1. Disponitur processio; et Sodales ante ambonem hinc inde cum suo Vexillo (1).
2. Praeparantur interim omnia in Sacello, ubi est SS. Sacramentum in capsula, et ibi alter Thuriferarius.
3. Archiepiscopus sedens lavat manus.
4. Accedente Thuriferario, et ministrante naviculam sine osculis Presbytero assistente, Archiepiscopus imponit incensum in thuribulo sine benedictione.
5. Dirigitur processio per ambonem, et navem principalem Ecclesiae ad dictum Sacellum hoc ordine:
   1. Vexillum, et labarum cum Sodalibus Confraternitatis SS. Sacramenti.
   2. Crux Capituli jam denudata per Ministrum cum cotta.
   3. Clerici Seminarii, et alii de Clero.
   4. Mansionarii.
   5. Familiares Archiepiscopi cum Scutiferis hinc inde non interrumpentibus procedentes.
   6. Thuriferarius.
   7. Crux Archiepiscopi per Cruciferum paratum inter Ceroferarios.

(1) *Si in Ecclesia est erectum Sodalitium SS. Sacramenti.*

8. Octo parati cum pluvialibus pro hastis baldachini.
9. Canonici ordine eorum, inter quos Presbyter assistens, Diaconus, et Subdiaconus.
10. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes.
11. Tres Ministri cum pluvialibus.
12. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

6. Omnes in discedendo ab Altari genuflectunt Cruci, et Canonici sine mitris. Archiepiscopus etiam, deposita mitra, surgit, et in medio Altaris genuflectit Cruci, et ibidem resumpta mitra, procedit.
7. Cum discesserint omnes, Clerici disponunt Cappas Canonicorum in Choro.
8. Ad sacellum praedictum omnes se disponunt prout in die praecedenti, sed tantum per gyrum triplicem, videlicet in primo Confratres, in secundo Clerici, et Mansionarii, in tertio octo Hastiferi, et Canonici Metropolitanae.
9. Canonici ante ingressum Sacelli mitras deponunt: sicut etiam Archiepiscopus mitram in eodem ingressu deponit per manus Diaconorum assistentium.
10. Procedit Archiepiscopus usque ad Altare, genuflectit in plano, et iterum super pulvinari in gradu inferiori, et parumper orat cum omnibus.
11. Sacrista interim aperit capsulam: accenduntur, et distribuuntur funalia, ac disponitur baldachinum.

12. Presbyter assistens cum duobus Thuriferariis ad Archiepiscopum.
13. Archiepiscopus surgens imponit incensum in duobus thuribulis absque osculis, et absque benedictione.
14. Iterum genuflexus in suppedaneo super pulvinari, Sacramentum incensat, porrigente Presbytero assistente thuribulum, et Diaconis elevantibus (a) planetam.
15. Presbyter assistens, incensato Sacramento, recedit inter Canonicos: et Thuriferarii hinc inde in plano Sacelli.
16. Archiepiscopus, adhuc genuflexus ibidem, accipit velum humerale per secundum Diaconum, adjuvante Caeremoniario.
17. Primus Diaconus assistens, genuflectit, extrahit calicem cum Sacramento, tradit Archiepiscopo, cooperit extremitatibus veli humeralis, ut heri: deinde genuflectit, et Archiepiscopus surgit.
18. Ascendens Archiepiscopus in suppedaneum, vertit renes Altari: et interim Diaconi cum debita genuflexione mutant locum ad invicem.
19. Cantores statim intonant Hymnum: *Vexilla*, quem Chorus prosequitur, ut infra:

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,

(a) Bauld. p. 4. c. 10. Art. 4. n. 2.

Qua Vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, et sanguine.
Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis
Tulitque praedam tartari.
O Crux ave spes unica,
Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus;
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. **Amen.**

20. Omnes successive surgunt, uti pridie, et processio revertitur ad Altare majus hoc ordine:

1. Vexillum et labarum cum sodalibus:
2. Crux Capituli:
3. Clerici:
4. Mansionarii:

5. Familiares Archiepiscopi, ut supra:
6. Cruciferarius, et Ceroferarii:
7. Canonici Metropolitanae:
8. Thuriferarii:
9. Baldachinum cum octo Presbyteris, quorum seniores sint ad primas hastas:
10. Archiepiscopus cum Sacramento sub eodem baldachino inter Diaconos assistentes:
11. Ministri de mitra, libro, et bugia:
12. Vicarius Generalis, et Protonotarii.

21. Supradicti omnes sic se disponunt, cum pervenerint ad Altare, seu Presbyterium, non deponentes cereum:
1. Vexillum cum Confratribus ad gradus ambonis hinc inde pro nunc, et postea per gyrum:
2. Crux Capituli prope credentiam reponitur:
3. Clerici et Mansionarii in Presbyterio per gyrum, et juniores sint a cornu Epistolae.
4. Crux Archiepiscopi ad locum suum; et Ceroferarii ad credentiam.
5. Canonici in altero gyro anteriori similiter, exceptis Subdiacono Epistolae, Diacono Evangelii, et Presbytero assistente, qui depositis cereis, se retrahunt ante Altare prope cornu Epistolae.
6. Omnes, sic dispositi in gyris suis, genuflectunt usque ad sumptionem calicis inclusive.

22. Ante gradus ambonis deponitur balda-

chinum, et octo Hastiferi per latus Epistolae ascendunt Presbyterium, et se ponunt in gyro Canonicorum post juniores, accipiunt cereos accensos, ac genuflectunt.

23. Archiepiscopus per latus (1) Evangelii ante medium Altaris: et ascendens secundum gradum, porrigit Sacramentum in manibus Diaconi Evangelii genuflexi in suppedaneo, recedentibus interim Diaconis assistentibus in locis suis, ut in Missis.

24. Surgit Diaconus cum Sacramento, et Archiepiscopus genuflexus in suppedaneo super pulvinari, adorat et per secundum Diaconum amovetur velum ab humeris ejus, adjuvante Caeremoniario. Diaconus Sacramentum collocat super Altari, solvendo vittam appositam ad cautelam, et extendendo velum.

25. Archiepiscopus surgit cum Ministris, et retrahit se aliquantulum versus cornu Evangelii, ubi stans in eodem secundo gradu, ponit incensum in thuribulo sine benedictione, ministrante Presbytero assistente sine osculis.

26. Iterum genuflectit in suppedaneo, et porrigente thuribulum eodem Presbytero, ter Sacramentum incensat, Diacono, et Subdiacono hinc inde elevantibus planetam.

(1) *In Ecclesiis, uti supra, per gradus anteriores Altaris ascendit ad secundum gradum.*

§. VII.

De reliquo Officio, et ritu hujus Feriae.

1. Archiepiscopus surgens, ascendit ad Altare, et habens a sinistris Presbyterum assistentem a dextris Diaconum, et Subdiaconum genuflectit cum illis.
2. Diaconus amovet velum a calice: deinde patenam, quam invertens, ponit super corporali versus cornu Epistolae; postmodum removet pallam, et resumens ambabus manibus patenam, tenet eam elevatam ante Archiepiscopum.
3. Archiepiscopus calicem accipiens; deponit ex eo hostiam super patenam: et posito calice super Altari, accipit ambabus manibus patenam e manu Diaconi, sine osculis, et Hostiam sacram reponit super corporali nihil dicens, neque signans, et patenam collocat, uti alias, non subtus sed super corporali.
4. Interim Diaconus, facta praegustatione solita, ponit vinum in calice, et Subdiaconus aquam, quam Archiepiscopus non benedicit, nec dicit super ea orationem consuetam: Calix autem non abstergitur, nec ante, nec post.
5. Archiepiscopus sine osculo accipit a Diacono calicem, quem ponit super Altari, nihil dicens, nec signans: et Diaconus cooperit illum palla.
6. Cooperto Calice, Presbyter assistens,

Diaconus, et Subdiaconus simul genuflectunt: et retrahentibus se in secundo gradu Diacono ad dexteram, et Subdiacono ad sinistram Archiepiscopi, Presbyter assistens transit ad dexteram ejusdem Archiepiscopi.

7. Accedit Thuriferarius, et ministerio Presbyteri assistentis sine osculis Archiepiscopus incensum ponit in thuribulo sine benedictione.

8. Presbyter assistens sine osculis dat thuribulum Archiepiscopo, qui habens a dextris Diaconum, et Presbyterum assistentem in suppedaneo, a sinistris vero Subdiaconum in secundo gradu, genuflectit cum illis.

9. Presbyter assistens descendit in plano ad cornu Epistolae.

10. Archiepiscopus, Diacono tenente pedem calicis, et una cum Subdiacono elevante planetam, incensat Oblata; dicendo: *Incensum istud* etc. quibus incensatis, iterum genuflectit, et incensat Crucem *ex Decr. S. R. C.* (a) prosequendo: *Dirigatur* etc. postea repetita genuflexione, incensat Altare (b), semper genuflectens quoties transit per medium.

11. Incensato Altari, dat thuribulum in manu Diaconi dicens: *Accendat in nobis* etc. et ipse non incensatur.

(a) Die 14. Maji 1707.
(b) Biss. Verb. Fer. VI. in Parascev. n. 45. §. 33.

12. Archiepiscopus immediate, advertens, ne terga vertat Sacramento, descendit e suppedaneo in secundo gradu, et aliquantulum extra. Altare in cornu Epistolæ, versa facie ad Chorum, lavat manus, more solito, sed sine mitra, nihil dicens: et interim Diaconus, et Subdiaconus in plano e regione Archiepiscopi.

13. Archiepiscopus redit in medium Altaris, et interim Presbyter assistens ad librum, Diaconus ad dexteram Archiepiscopi, Subdiaconus post Archiepiscopum in plano, et omnes simul genuflectunt.

14. Archiepiscopus, junctis manibus super Altari, mediocriter inclinatus, dicit submissa voce, sed intelligibili: *In Spiritu humilitatis* etc.

15. (1) Immediate osculatur Altare, et sine ulla genuflexione, nec conversione (*cum Altare sit sub Tribuna)* dicit mediocri voce: *Orate Fratres,* proferens reliqua secreto. Non respondetur: *Suscipiat Dominus.*

16. Omissis aliis, Archiepiscopus junctis manibus ante pectus in cantu feriali; di-

(1) *In Ecclesiis non habentibus Altare ad Orientem, sed e conspectu populi, post osculum Altaris Archiepiscopus facta genuflexione retrahens se versus cornu Evangelii, versa facie ad Epistolae et semiversa ad populum, dicit:* Orate fratres, *et deinde reversus ad Altare per eamdem viam iterum genuflectit, et prosequitur.* (Rubric. Missal. Bissus. et Merati hoc loco.)

cit: *Oremus*: *Praeceptis salutaribus moniti* etc. et dum incipit *Pater noster*, extendit manus, et Diaconus facta genuflexione, se retrahit post Archiepiscopum ante Subdiaconum, et ambo sic remanent usque ad elevationem.

17. Respondetur a Choro: *Sed libera nos a malo.*

18. Archiepiscopus dicit *Amen* sub silentio, et adhuc tenens manus extensas, immediate subjungit eodem tono feriali: *Libera nos quaesumus Domine* etc. non se signans cum patena, et in fine Chorus respondet *Amen.*

19. Tunc Diaconus, et Subdiaconus hinc inde genuflectunt in suppedaneo pro elevatione, ad quam non elevatur planeta, non incensatur Sacramentum (a), nec pulsatur crotalum. (1)

20. Archiepiscopus genuflectit, surgit, supponit patenam Hostiae, et tenens manu sinistra patenam (b) super Altari, elevat dextera Hostiam, ut ab omnibus possit videri.

21. Quando incipit Archiepiscopus declinare Hostiam jam elevatam, Diaconus, et

(a) Bauld. p. 4. c. 10. art. 4. n. 18. Gavant. hac die.

(1) *In Basilicis Urbis Romae pulsatur crotalum teste Merati hoc loco*, ex Clericato De Sacrific. Missae Dec. 43. num. 6.

(b) Gavant. et Bauld. hac die.

Subdiaconus surgunt, Diaconus discooperit calicem, et Subdiaconus recedit in plano, qui deinde cum aliis genuflectet.

22. Archiepiscopus declinat Hostiam immediate super Calicem (a) discoopertum, et statim dividit in tres partes more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in calicem, pariter nihil dicens, nec signans.

23. Diaconus cooperit calicem, et cum Archiepiscopo genuflectit, sicut et Subdiaconus.

24. Archiepiscopus manibus junctis super Altari, et inclinatus, dicit secreto: *Perceptio corporis* etc. omissis duabus aliis orationibus.

25. Archiepiscopus iterum genuflectit; deinde, accepta patena cum Hostia, ut alias, dicit: *Panem coelestem* etc. *Domine non sum dignus* etc. more solito ter percutiens pectus.

26. Hostia se signat, et se communicat dicendo: *Corpus Domini nostri* etc.

27. Facta brevi meditatione, et discooperto per Diaconum calice, Archiepiscopus genuflectit cum illo.

28. Archiepiscopus surgens, collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus calicem nihil dicens, nec se signans, et sumit reverenter ex eo particulam Hostiae cum vino.

(a) Caerem. Epis. hic.

29. Archiepiscopus, omissa alia consueta calicis purificatione, more solito abluit digitos super calicem, ministrante Diacono vinum.

30. Interim Acolythi colligunt cereos, asportant, et extinguunt, surgentibus omnibus, seque ad loca sua ordinate recipientibus.

31. Archiepiscopus, sumpta dicta purificatione, inclinatus in medio, manibus junctis ante pectus, dicit, secreto: *Quod ore* etc.

32. Tunc amovetur per Ministrum proprium Missale cum legili ab Altari: et Subdiaconus extergit Calicem, quem velo parvo nigro coopertum reportat cum bursa, et corporali ad credentiam.

33. Archiepiscopus in cornu Epistolae, sumpta mitra, lavat manus more solito.

34. Archiepiscopus, lotis manibus, deponit mitram, genuflectit in medio: ibique resumit mitram, et accedit ad Sedem pontificalem cum Diaconis assistentibus: Presbyter vero assistens ad locum suum inter Canonicos.

35. Interim prope Abacum Diaconus deponit Stolam latiorem, et manipulum, Subdiaconus planetam plicatam, et manipulum; et sic in Albis ad Archiepiscopum, recedentibus tunc Diaconis assistentibus.

36. Archiepiscopus deponit paramenta, et assumit cappam, quo tempore etiam Canonici deponunt sua in locis suis.

37. Interim Cruciferarius, octo parati pluvialibus pro hastis, et tres Ministri parati ad Aulas majorem, et minorem paramentorum respective pro dimissione paramentorum.
38. Archiepiscopus ad suum Stallum Chorale pro Vesperis: Diaconus, et Subdiaconus ad Secretarium, ubi exuuntur.

§. VIII.

De Vesperis.

1. Surgunt omnes aperto capite, et dicto *Pater*, *et Ave*, Chorus incipit Vesperas sine cantu, ut heri, cum candelis Altaris accensis (a).
2. Interim reportantur ex Altari paramenta Archiepiscopi ad scerophylacium, et amovetur tobalea.
3. Item removentur ex Abaco omnia, etiam tobalea, et reportantur, ubi supra.
4. Completis Vesperis, datur signum cum crotalo pro Salutatione Angelica: et extinguuntur candelae Altaris.
5. Omnes modeste, et cum silentio discedunt.

(a) Castald. l. 3. Sect. 7. cap. 4. n. 18.



CAP. III.

De Completorio, et de Matutino Sabbati Sancti, de sero hujus Feriae VI. absolvendo.

§. I.

De Completorio.

1. Omnia servantur, quae sunt praescripta in Feria V. praeced. cap. 4. §. 1. p. 120.
2. In fine cantatur Planctus Beatae Mariae Virginis: *Stabat Mater dolorosa* etc. loco Officii Mariani.

§. II.

De Matutino Sabbati Sancti.

1. Sedes Archiepiscopi, et Altare erunt nuda, sicut heri, Crux tamen detecta.
2. Archiepiscopus solito comitatu ad Ecclesiam, ut in Feria IV. ad Matutinum, deinde ad Altare majus pro oratione, genuflectens Cruci, sicut et ceteri omnes.
3. Procedit ad Chorum, et cantatur Matutinum cum Laudibus, in quibus omnia in primo Matutino dicta observantur.
4. In fine Laudum ad ℣. *Christus* etc. additur: *Propter quod et Deus exaltavit* etc.
5. Datur signum Salutationis Angelicae cum crotalo.
6. Omnes tandem modeste recedunt.

TITULUS VIII.

DE SABBATO SANCTO

CELEBRANTE ARCHIEPISCOPO

—

CAP. I.

De praeparandis pro omnibus Functionibus hac die persolvendis.

In Secretario.

1. *Stola violacea pro Diacono.*
2. *Bugia cum laterna includente candelam, et ligna Sulphurata.*
3. *Arundo circum ornata, habens in summitate tres candelas, in suo pede ligneo locata.*
4. *Stola, dalmatica, et tunicella albi coloris pro Diacono et Subdiacono in Missa.*
5. *Vasa florum pro Altari majori.*

In Aula minori paramentorum.

1. *Quatuor pluvialia violacei coloris pro Ministris.*

2. *Quatuor pluvialia alba pro iisdem, et aliud consimile.*
3. *Planeta plicata violacea pro Cruciferario.*
4. *Tunicella alba pro eodem.*
5. *Vasa ad lavandas manus cum medulla panis pro Sacerdotibus noviter ordinatis, et mappulae ad eas tergendas.*
6. *Missalia pro iisdem.*
7. *Intorticia pro elevatione ad Missam.*

In Aula majori paramentorum.

1. *Pluvialia, planetae, planetae plicatae coloris violacei pro Dignitatibus, et Canonicis.*
2. *Pluvialia, planetae, dalmaticae, et tunicellae albi coloris pro iisdem.*
3. *Planetae, dalmaticae, tunicellae cum stolis, et manipulis albi coloris pro ordinandis.*

In Subterraneis ejusdem Aulae.

1. *Foculus aeneus cum carbonibus super suo tripode.*
2. *Silex, et alia necessaria pro accendendo igne.*
3. *Forceps ferrea.*
4. *Unci ferrei duo pro deferendo foculo.*

In Altari Majori.

1. *Altare majus cum Cruce, et Septem candelabris argenteis, ac lampadibus aptatis pro recipiendo faciliter lumine.*

2. *Duplex in eo pallium, album subtus, et desuper violaceum amovibile.*
3. *Paramenta pro Archiepiscopo super illud videlicet Gremiale, annulus, planetá, chirothecae, dalmatica, tunicella, et stola violacei coloris, Crux pectoralis, manipulus, cingulus albus, alba, amictus, et cotta (1) omnia velo violaceo coperta.*
   Insuper mitra simplex, pectorale, pluviale, et stola violacei coloris, Crux pectoralis, cingulus violaceus, alba, amictus, et superpelliceum, alio velo majori cooperta.
   Pastorale ad cornu Epistolae.
4. *Pes ligneus pro Cruce Archiepiscopali substentanda in cornu Evangelii cum Scabello pro Cruciferario.*
5. *Alter pes ligneus in eodem cornu pro arundine.*
6. *Missale pro Praeconio in parte posteriori Altaris ad cornu Evangelii.*
7. *Tegumentum cum pulvinari albi coloris in Ambone pro Praeconio, et ibidem gradus lignei pro ascendendo ad cereum, et virga cum candela ex eo accendenda.*
8. *Cereus pergrandis in suo candelabro marmoreo prope Ambonem, cujus lychnus cera perfusus aptus sit ad facile lumen recipiendum, et cum quinque foraminibus in anteriori ejus parte in modum Crucis pro quinque granis incensi infigendis.*

(1) *Cotta omittitur si Archiepiscopus vel Episcopus non sit ex ordine Regulari assumptus.*

9. *Legite nudum pro Prophetiis, deinde cum sua veste alba pro Epistola.*
10. *Duo scabella prope Altare pro Diacono, et Subdiacono, et tria alia pro Archidiacono, et iisdem in collatione Ordinum.*

In Abaco, seu Credentia ejusdem.

1. *Pelvis argentea cum quinque globulis incensi in formam nucis pineae Cereo infigendis.*
2. *Thuribulum cum navicula incenso referta.*
3. *Vas aquae benedictae cum aspersorio.*
4 *Manipuli, et planetae plicatae violaceae pro Diacono, et Subdiacono.*
5. *Manipulus, Stola, et Dalmatica albi coloris pro Diacono ad Praeconium.*
6. *Pelvis cum Sandaliis albi coloris, et velo humerali violaceo.*
7. *Candelabra cum cereis albis pro Ceroferariis.*
8. *Alia paramenta pontificalia pro Missa albi coloris, videlicet.*
Mitra pretiosa, et auriphrygiata, Pallium Archiepiscopale cum velo, et Spinulis in capsula, gremiale, planeta, chyrothecae, dalmatica, tunicella, stola, et velum sericeum violaceum supra.
9. *Duo manipuli albi coloris pro Diacono, et Subdiacono.*
10. *Pontificale Romanum.*
11. *Forfices pro Tonsurandis.*
12. *Claves Ecclesiae, et Campanula pro Ostiariis.*

13. *Liber lectionum, seu Breviarium pro Lectoribus.*
14. *Rituale pro Exorcistis.*
15. *Candelabrum cum cereo extincto, urceolus vacuus pro Acolythis.*
16. *Calix vacuus cum patena, pelvicula cum urceolis vini, et aquae, et manutergio, et Epistolarium pro Subdiaconandis.*
17. *Item Evangeliarium pro Diaconandis.*
18. *Oleum Catechumenorum, calix cum viño, et aqua, et patena cum Hostia, et mappulae pro Sacerdotibus.*
19. *Cerei pro omnium Ordinatorum oblatione.*
20. *Vasa argentea ad lavandas manus cum medulla panis, et mantilia pro gremio, et ad tergendas easdem.*
21. *Legile argenteum pro Missali.*
22. *Pyxis cum particulis.*
23. *Velum humerale album pro Subdiacono.*
24. *Calix Archiepiscopi cum purificatorio, patena cum duabus Hostiis, palla, velo, et bursa cum corporali.*
25. *Vasa pro praegustatione, et ampullae vini, et aquae.*
26. *Velum oblongum pro Communione.*
27. *Calix cum mappula pro purificatione.*
28. *Tabella indulgentiarum.*
29. *Velum album sericum pro tegendis in fine paramentis missalibus super Altari.*

In Presbyterio, et Choro.

1. *Presbyterii, et Chori pavimentum tapetibus undique stratum.*
2. *Genuflexorium cum veste, et pulvinaribus violaceis: et alia pulvinaria festiva pro mutatione paramentorum.*
3. *Duo pulvinaria violacea pro Diaconis assistentibus ad procumbendum in Litaniis.*
4. *Faldistorium argenteum cum veste, et pulvinaribus albis pro conferendis Ordinibus.*
5. *Sedilia pro Ordinandis ante cancellos Presbyterii lateris Evangelii.*
6. *Sedes Pontificalis, et Choralis pro Archiepiscopo duplicatis vestibus ornatae, albis interius, et violaceis exterius cum suis pulvinaribus.*
7. *Sedilia Canonicorum suis pannis teguntur.*
8. *Missale cum suis tegumentis violaceo, et albo: Liber Canonis, et bugia.*
9. *Missale pro Litaniis.*
10. *Graduale, et Antiphonarium pro responsorio*: Sicut cervus *etc.*
11. *Pontificale Romanum pro Ordinibus.*
12. *Sex candelabra argentea cameralia cum Cereis pro Horis minoribus antelucano tempore dicendis.*

In Baptisterio pro benedictione Fontis, et pro baptizandis.

1. *Mensa mantili cooperta extra cancellos baptisterii retro sedilia Canonicorum, et super*

ea collocetur ciborium Fontis cum suo conopaeo.

2. *Aqua munda intra Fontem, projecta veteri in Sacrarium.*
3. *Vasa decentia pro extrahenda aqua benedicta.*
4. *Faldistorium cum duplici veste violacea, et alba: et tria scabella super tapete intra cancellos.*
5. *Sedilia Canonicorum extra dictos cancellos pannis viridibus cooperta.*

In Abaco, seu Credentia ejusdem Baptisterii.

1. *Abacus, seu credentia mantili albo cooperta.*
2. *Mappula ad tergendas manus.*
3. *Vas pro aqua benedicta cum aspersorio.*
4. *Ampullae argenteae cum Chrismate, et Oleo Catechumenorum.*
5. *Vasa argentea ad lavandas manus cum medulla panis; et mantilia pro gremio, et ad easdem tergendas.*

Pro Baptismo.

6. *Libellus proprius.*
7. *Pelviculae cum sale, et mappula linea.*
8. *Vascula duo cum bombacio madido Sanctis Oleis, alterum Chrismatis, alterum Catechumenorum.*
9. *Bombacium siccum pro abstersione locorum inunctorum.*

10. Paramenta albi coloris, videlicet: Mitra auriphrygiata, pectorale, pluviale, et stola, cooperta velo serico albo.
11. Lintei ad detergenda capita infantium.
12. Vestes candidae infantibus imponendae.
13. Cerei accendendi, et infantibus tradendi.

Ad Valvas Ecclesiae.

1. Faldistorium veste violacea coopertum super tapete.

CAP. II.

De sacris Ritibus Sabbato Sancto peragendis.

§. I.

De principio Officii usque ad benedictionem novi ignis.

1. Summo mane signum cum crotalo, et recitantur horae minores in Choro usque ad Sextam inclusive, non accensis luminibus Altaris.
2. Interim Diaconus, et Subdiaconus in Secretario pro paramentis suis, et extra Ecclesiam in loco consueto accenditur novus ignis e silice excussus.
3. Completa Sexta Canonici, et Clerus ad Archiepiscopum, et Diaconus, et Subdiaconus in albis apud Altare in propriis locis.
4. Archiepiscopus solito comitatu ad Eccle-

siam, et post orationem ante Altare majus, facta Cruci genuflexione, ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus (a).

5. Diaconus, et Subdiaconus in albis facta genuflexione Cruci, ad Archiepiscopum, quos sequuntur Acolythi cum paramentis.

6. Archiepiscopus, non recedentibus Diaconis, per Diaconum, et Subdiaconum induitur Cotta, amictu, albā, cingulo, Cruce pectorali, stolā, et pulviali violacei coloris cum pectorali, et mitra simplici, et accedit Minister cum pastorali.

7. Archiepiscopo parato, Diaconus et Subdiaconus sua petunt loca.

8. Sedente Archiepiscopo cum omnibus, duo Acolythi deferentes foculum novi ignis, et retro post eos alter cum tripode, facta genuflexione Altari, accedunt ante Sedem Archiepiscopi praecedente illo de tripode: et foculo super tripodem collocato, se retrahunt hinc inde.

9. Tunc Cruciferarius cum Acolythis de granis, aqua benedicta, et thuribulo ad Archiepiscopum sic:

   1. E credentia ad planum Presbyterii tres Acolythi, unus cum aqua benedicta in medio, alter cum granis incensi a dextris, alter cum thuribulo sine igne, et navicula cum incenso a sinistris.

(a) S. R. C. April. 1681. instante Emin. Ursino nostro Archiepiscopo; licet Caerem. enunciet tantum Diaconum et Subdiaconum.

2. E loco suo Crucifer cotta indutus cum Cruce Archiepiscopali in eodem plano ante illos.
3. Facta Altari debita reverentia, Acolythi laterales vertentes faciem alter ad alterum, et medius per latus suum sinistrum, procedunt ante sedem Archiepiscopi (1).
4. Crucifer se vertens, prout Acolythus medius, sequitur illos.
5. Tres Acolythi sistunt se prope foculum, et etiam Cruciferarius ad sinistram Acolythi de granis, et facientes omnes semicirculum, simul genuflectunt Archiepiscopo ita; ut Crux, et grana respiciant dexteram, Aqua benedicta, et thuribulum sinistram Archiepiscopi, et sic stant usque ad finem benedictionis.

10. Archiepiscopus deponit mitram, surgit, et accedentibus Ministris de libro, et bugia, dicit sine cantu: *Dominus vobiscum*, *et Oremus*; et tribus orationibus benedicit novum ignem.
11. Deinde adhuc stans unica oratione benedicit grana incensi genuflectente tunc in loco suo Acolytho, et pelvim elevante.

(1) *In Ecclesiis ubi Sedes Archiepiscopi est in cornu Evangelii, non e regione Altaris ad Orientem, tres Acolythi ut num. 1. facta Altari reverentia, procedunt ante Sedem Archiepiscopi, sequente Cruciferario, vertentes se per humerum sinistrum.*

12. Interim Thuriferarius imponit in thuribulo novum ignem cum forcipe, et Presbyter assistens accedit ad Archiepiscopum.
13. Archiepiscopus imponit incensum more solito cum osculis, et benedictione, deinde aspergit ignem, et grana, dicens Antiph. *Asperges me* etc. et eadem thurificat.
14. Interim Diaconus, et Subdiaconus ad Archiepiscopum in plano a dextris sedis.
15. Completa benedictione, omnes supradicti, facta debita genuflexione Archiepiscopo, sic discedunt:
   1. Tres Acolythi de granis, aqua benedicta, et thuribulo, vertentes se, ut in accessu, et facta Altari genuflexione, vadunt in Secretarium, unde; depositis ibi granis, et vase aquae benedictae, et mutato thuribuli igne, redeunt statim ad Abacum.
   2. Cruciferarius ad locum suum.
   3. Tres Acolythi de foculo, et tripode immediate in Secretarium, locantes ignem novum in medio ejus.
16. Descendit in planum Presbyter assistens, et una cum Diacono, et Subdiacono facit reverentiam Archiepiscopo, et redit ad locum suum inter Canonicos.
17. Archiepiscopus per manus Diaconi, et Subdiaconi deponit paramenta non recedentibus Diaconis assistentibus: postea accipit cappam, et sedet.

§. II.

De processione cum arundine usque ad Praeconium.

1. Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella, ubi (a) primus deposita stola violacea, accipit per Acolythos manipulum, stolam, et dalmaticam albi coloris; Secundus manipulum, et planetam plicatam coloris violacei.
2. Interim accedente Presbytero assistente, et Thuriferario, Archiepiscopus more solito imponit incensum.
3. Presbyter assistens redit ad locum suum inter Canonicos, et Thuriferarius se recipit ad Crucem Archiepiscopalem.
4. Eodem tempore accedunt ad eandem Crucem per ambonem Claviger, seu Mazzerius Archiepiscopi, Acolythus pro granis incensi accipiendis, Subdiaconus, Diaconus, et quatuor Cappellani.
5. Procedunt deinde ab Altari ad Secretarium hoc ordine cum debitis reverentiis Archiepiscopo, et Altari:
   1. Mazzerius, seu Claviger Archiepiscopi cum clava elevata.
   2. Caeremoniarius.
   3. Thuriferarius cum thuribulo, habens ad sinistram suam alterum Acolythum manibus junctis incedentem.

(a) Caerem. Epist. lib. 2. cap. 27.

4. Subdiaconus Epistolae cum Cruce Archiepiscopali.
5. Diaconus cum Dalmatica, ut supra.
6. Quatuor Cappellani bini junctis manibus sequentes.

6. Reliqui de Choro sedent, et expectant.

7. In Secretario Diaconus accipit arundinem, Acolythus pelvim cum quinque granis incensi: et de novo igne per Caeremoniarium accenditur candela, includenda in laterna supra bugiam.

8. Proceditur deinde e Secretario per Navem lateralem, et per ultimas columnas Navis majoris usque ad Portam majorem Æneam Ecclesiae hoc ordine:
1. Claviger inter duos Scutiferos Archiepiscopi cum Virgis.
2. Acolythus cum granis incensi in pelvi elevata usque ad (a) faciem, et a sinistris ejus Thuriferarius.
3. Subdiaconus cum Cruce.
4. Diaconus cum mitra portans arundinem: et Caeremoniarius cum candela, ut supra accensa, et inclusa, a sinistris ejus.
5. Quatuor Cappellani bini, quorum primi inserviant Diacono pro mitra, et pro arundine.

9. Omnes isti ante dictam portam principalem Æneam intra Ecclesiam eodem ordi-

(a) Par. Gras. l. 2. c. 48. Turrin. p. 4. Sect. 2. cap. 3.

ne vertentes faciem ad Altare majus se sistunt, ita ut ultimi duo Cappellani sint proximi januae.

10. Diaconus, deposita mitra, inclinat arundinem, et accensa ex laterna una ex tribus candelis per Caeremoniarium, ac erecta iterum arundine, genuflectit, genuflectentibus omnibus, etiam Archiepiscopo apud Sedem, excepto Subdiacono de Cruce tantum.

11. Diaconus alta voce cantat: *Lumen Christi*, tum surgit, surgentibus omnibus, et Chorus respondet: *Deo gratias.*

12. Sic stantibus omnibus Diaconus cum suis Comministris procedit sine mitra usque ad medium Ecclesiae, ibique alteram candelam accendit, genuflectit, cantat altiori voce: *Lumen Christi*, genuflectentibus omnibus, ac inde surgentibus, uti supra.

13. Sic proceditur tertio usque ad planum ambonis ante Altare, et Diaconus, accensa tertia candela, genuflectit in superiori gradu scalae marmoreae, et voce adhuc altiori cantat: *Lumen Christi*; omnibus genuflectentibus, ac surgentibus ut supra, remanentibus hinc inde in plano Ecclesiae Scutiferis cum Virgis.

14. Responso per Choram: *Deo gratias*, Archiepiscopus, et omnes de Choro sedent.

§. III.

De Praeconio.

1. Diaconus arundinem tradit uni ex Cappellanis, et accepto Missali a Caeremoniario, comitante eodem, accedit ante gradus Sedis Archiepiscopalis, ubi inclinatus dicit: *Jube Domne benedicere*, et Archiepiscopus sedens dicit: *Dominus sit in corde tuo, et labiis tuis, ut digne, et competenter annuncies suum Paschale Praeconium in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: Amen*, manu dextera illum signans.

2. (1) Interim, remanente Clavigero in a-

(1) In Ecclesiis Ambone carentibus haec observabuntur, omissis a num. 2. usque ad num. 6.
2. Dum Diaconus recipit ab Archiepiscopo benedictionem, remanente Clavigero in aditu Presbyterii, versa facie ad Altare, Acolythus cum granis incensi, Acolythus cum Arundine, Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius se disponunt juxta legile, locato vel in latere Evangelii, vel alibi pro situ loci in Presbyterio e regione Sedis Archiepiscopalis, hoc modo, lineam rectam efformantes;
1. Subdiaconus cum Cruce a dextris Diaconi.
2. Thuriferarius ad dexteram Subdiaconi.
3. Acolythus cum Arundine a sinistris Diaconi.
4. Acolythus cum granis incensi a sinistris Acolythi de Arundine, et sic Diaconum expectant.
3. Reliqui Cappellani recedunt ad Abacum.
4. Diaconus, accepta benedictione, vadit ad Legi-

ditu (a) Ambonis facie versa ad Altare, Acolythus cum granis incensi, Acolythus cum Arundine, Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius se disponunt juxta Cancellos dicti Ambonis prope gradus suggesti marmorei diaconalis, et Acolythus cum granis sit gradibus ipsis proximior, et Diaconum expectant.

3. Reliqui Cappellani recedunt ad Credentiam.

4. Diaconus, accepta benedictione, accedit ad Ambonem, et cum supradictis Ministris ascendit Suggestum suum diaconalem hoc ordine:
   1. Acolythus cum granis incensi,
   2. Acolythus cum arundine,
   3. Diaconus ipse cum libro,
   4. Subdiaconus cum Cruce,
   5. Thuriferarius cum Thuribulo.

5. In dicto Suggestu diaconali supradicti quinque rectam (b) lineam efforment, et vertant faciem, prout vertit Diaconus cantans, qui ad suam dexteram habebit Subdiaconum cum Cruce, et ad dexteram ipsius Subdiaconi Thuriferarium;

le, et ibi, omnibus stantibus versa facie ad meridiem, vel ad eam partem, quae pro meridie figuratur prout etiam Diaconus, in medio dictorum Ministrorum aperit et thurificat librum, tum incipit cantare Praeconium, et omnes surgunt.

(a) Par. Crass. lib. 2. cap. 48.

(b) Bauld. hic.

ad sinistram vero Diaconi stabit Acolythus cum Arundine, et ad sinistram istius Acolythus cum granis incensi.

6. Diaconus in medio supradictorum Ministrorum aperit, ac thurificat librum: tum incipit cantare Praeconium, et omnes surgunt.

7. Postquam Diaconus dixerit illa verba: *Curvat imperia*, omnes de Choro sedent (a) et interim amovetur per Acolythum Cereus e candelabro marmoreo, et Diaconus in eo infigit quinque grana incensi per modum Crucis hoc ordine:

1
4 2 5
3

8 Hoc facto, et reposito Cereo in loco suo Diaconus prosequitur Praeconium, omnibus item surgentibus.

9. Post verba illa: *Rutilans ignis accendit*, Diaconus accendit Cereum ex Arundine, et omnes de Choro interim sedent.

10. Post verba: *Apis mater eduxit*, Diaconus cessat a cantu, donec Acolythus cum candelula virgae superinflexa, ac e Cereo accensa, accendat proximas lampades, et omnes de Choro sedent.

11. Accensis lampadibus, ac omnibus sur-

(a) Paris Crass. lct. 2. cap. 48 hoc die. et Bauld. p. 4. cap. II. art. 3. n. 5.

gentibus, Diaconus prosequitur Praeconium, et ante verba: *Imperatorem nostrum,* adjungat *Electum.* (1)

12 Completa benedictione Cerei, Archiepiscopus, et Chorus sedent.

13. Diaconus cum Comministris suis hac methodo ex suo Suggestu diaconali descendat:

1. Thuriferarius, qui in plano Ambonis expectabit Acolythum de granis:
2. Subdiaconus, qui ponit Crucem in proprio loco:
3. Diaconus, qui se collocat ad dexteram Subdiaconi, cum quo, praecedente Caeremoniario, et factis reverentia Archiepiscopo, et genuflexione Altari ad propria Scabella:
4. Acolythus de Arundine, qui illam firmat in suo pede a latere Evangelii, et deinde ad credentiam:
5. Acolythus de granis, qui cum Thuriferario ad dexteram, redit ad Secretarium cum debitis genuflexionibus.

14. Diaconus, et Subdiaconus igitur ad propria Scabella statim accedunt, (a) Diaconus deponit dalmaticam, stolam, et manipulum albi coloris, et induit stolam violaceam sine manipulo; Subdiaconus deponit manipulum, et planetam plicatam, et sic in albis sedent cum mitris.

(1) *In Regno Neapolitano dicitur;* Respice etiam ad devotissimum Regem Nostrum N.

(a) Ceaerem. Epis. hic.

§. IV.

De Nona, et Prophetiis usque ad benedictionem Fontis.

1. Archiepiscopus surgit, surgentibus omnibus, et dicit secreto: *Pater noster* etc. pro Nona inchoanda.
2. Chorus incipit absolute: *Mirabilia testimonia tua* etc. sine cantu, et omnes sedent.
3. In fine Psalmorum Archiepiscopus descendit ad faldistorium cum Diaconis assistentibus, extensa cappa, et sibi caudam trahens, ut alias, pro ℣. *Christus factus est obediens* etc. *Miserere mei* etc. et oratione: *Respice quaesumus* etc.
   (Hic immediate cantatur planctus Virginis; *Stabat Mater dolorosa* etc. loco Officii Mariani, et terminatur triduum Passionis pro genuflexionibus.)
4. His expletis, Archiepiscopus, cappa super humeros involuta de more, et facta Altari reverentia, redit ad Sedem suam cum Diaconis assistentibus, et accedit etiam Presbyter assistens cum Ministris de libro, et bugia.
5. Subdiaconus in albis cum sandaliis albi coloris, et velo humerali violaceo ad Archiepiscopum cum Ministris de more.
6. Archiepiscopus recipit sandalia recitans Psalmos consuetos praeparationis cum *Gloria Patri* etc.

7. Subdiaconus, deposito velo apud credentiam, redit ad scabellum suum.
8. Archiepiscopus, completis orationibus praeparationis lavat manus more solito.
9. Interim Diaconus, et Subdiaconus, sequentibus Acolythis cum paramentis Pontificalibus Missalibus coloris violacei, accedunt ad Archiepiscopum.
10. Recedentibus Presbytero, et Diaconis assistentibus ad loca sua inter Canonicos, Archiepiscopus per manus Diaconi, et Subdiaconi induitur (cotta) amictu, alba, cingulo, albi coloris, manipulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis, et planeta violacei coloris, inde sumit mitram simplicem.
11. Canonici parantur eodem tempore, ita tamen, ut tunc accipiant paramenta violacea sui ordinis, quando Archiepiscopus accipit planetam.
12. Accedentibus Presbytero, et duobus Diaconis assistentibus paratis, recedunt Diaconus, et Subdiaconus, et in propriis locis accipiunt manipulos, et planetas plicatas.
13. Archiepiscopus accipit annulum.
14. Cruciferarius cum planeta plicata ex Aula minori ad locum suum in Presbyterio, et Ministri cum pluvialibus ad Archiepiscopum.
15. Archiepiscopus ad Altare cum Assistentibus, ubi, deposita mitra in plano per Diaconum Evangelii, et Subdiaconum,

ascendit medius inter dictos Diaconum, et Subdiaconum, et osculatur Altare, remanentibus in plano Presbytero, et Diaconis assistentibus.

16. Osculato Altari, ibi in medio recipit mitram, et revertitur ad Sedem suam cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, remanentibus in suis scabellis prope Altare Diacono, et Subdiacono.

17. Archiepiscopus sedet, et accipit gremiale, sedentibus omnibus.

18. Cantantur Prophetiae per duodecim Lectores in Ambone ex legili Lectorum (a) de directo ante medium Altaris, versa facie ad populum, (1) et Lectores in fine singularum osculantur manum Archiepiscopi.

19. Duodecima lectio cantabitur modis (b) musicis.

20. Archiepiscopus easdem Prophetias legit apud Sedem suam: et post quartam, octavam, et undecimam legit Tractum, accedentibus Ministris.

11. Post singulas lectiones, aut tractus respective, Archiepiscopus, depositis Gre-

(a) Sarnellius in sua antiqua Basilicographia cap. 23. de Ambone num. 3.

(1) *In Ecclesiis Ambone carentibus Prophetiae cantantur apud Legile, in medio Presbyterii locatum, versa facie ad Altare.*

(b) More Daunico, et ex consuetudine S. Metropolitanae, cui primo praeerat Emin. noster Archiepisc.

miali, et mitra, surgens dicit: *Oremus*, primus Diaconus: *Flectamus genua* (ad quod omnes genuflectunt praeter Archiepiscopum), et secundus Diaconus: *Levate* (ad quod omnes surgunt) et Archiepiscopus subjungit orationes, sustinente librum Presbytero assistente.

22. Post ultimam lectionem non dicitur *Flectamus genua.*

§. V.

De Benedictione Fontis Baptismalis.

1. Finitis Prophetiis, Diaconus, et Subdiaconus depositis manipulis, et planetis, ad Archiepiscopum, qui, recedente Presbytero assistente tantum, paramenta Missalia deponit, et accipit pluviale violaceum, pectorale, et mitram simplicem.
2. Interim Acolythus de cereo amovet illum de candelabro magno marmoreo, et descendit cum illo prope Crucem Archiepiscopalem.
3. Accenduntur cerei in candelabris ad credentiam.
4. Clerici se disponunt hinc inde in Presbyterio pro Processione.
5. Parato Archiepiscopo, Diaconus, et Subdiaconus ad propria loca pro sumendis planetis plicatis tantum, deinde inter Canonicos.
6. Schola incipit tractum: *Sicut Cervus* etc.


et proceditur ad benedictionem Fontis hoc ordine:
1. Mazzerii duo,
2. Clerici Seminarii, et alii,
3. Mansionarii,
4. Schola cantans, ut supra,
5. Familiares Archiepiscopi cum Scutiferis hinc inde,
6. Claviger, seu Mazzerius,
7. Minister cum Cereo,
8. Cruciferarius paratus cum Cruce inter Ceroferarios,
9. Canonici parati, inter quos Presbyter assistens, Diaconus, et Subdiaconus eorum ordine,
10. Minister cum Pastorali,
11. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes,
12. Ministri parati pro mitra, libro, et bugia,
13. Vicarius generalis, et Protonotarii.

7. Omnes, factis reverentiis Archiepiscopo, et Altari per Ambonem, hinc inde ad Fontem.
8. Ibi sic situantur:
1. Mazzerii ad ingressum Septi,
2. Clerici, et Mansionarii cum Schola in gyrum post sedilia Canonicorum,
3. Acolythus Cerei, et Cruciferarius cum Ceroferariis prope cancellos Fontis versa facie ad portam lateralem Ecclesiae, ibi proximam,
4. Canonici, Vicarius generalis, et Protonotarii in sedilibus intra septa,

8. Archiepiscopus cum suis Assistentibus contra Crucem ante cancellos (a).
9. Archiepiscopus, mitra deposita, dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum*, et orationem: *Omnipotens sempiterne Deus respice* etc. sine cantu, sustinente librum Presbytero assistente, sicut et in aliis sequentibus.
10. Deinde Acolythus Cerei, Cruciferarius, et Ceroferarii intra cancellos prope Fontem.
11. Archiepiscopus, accepta mitra, accedit ad Fontem, et se sistit versa facie ad Orientem: et tunc praedicti Cruciferarius, et Comministri vertunt se contra Archiepiscopum; Acolythus autem cerei in latere Fontis ad dexteram Archiepiscopi.
12. Archiepiscopus, deposita mitra, stans dicit in tono feriali: *Dominus vobiscum*, et alteram orationem: *Omnipotens sempiterne Deus adesto* etc.
13. Deinde subjungit Praefationem, ut in Missali, manibus adhuc junctis: intra quam Praefationem juxta proprios rubricae locos haec peragit:
   1. Post verba: *Gratiam de Spiritu Sancto*, dividit aquam manu dextera in modum Crucis, et immediate manum tergit,
   2. Post verba: *Non inficiendo corrumpat*, tangit aquam manu, et tergit,

(a) Bissus verb. Fons Baptismalis n. 32. §. 5.

3. Post verba: *Indulgentiam consequantur*, facit tres Cruces supra Fontem manu dextera.
4. Post verba: *Super te ferebatur*, dividit aquam dextera manu, et effundit versus quatuor partes Mundi, Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Austrum, hoc modo:



5. Post verba: *In nomine Patris* etc. mutat vocem in modum lectionis.
6. Post verba: *Tu benignus adspira*, halat ter in aqua in modum Crucis.
7. Post verba: *Purificandis mentibus efficaces*, immittit aliquantulum cereum in aquam, dicens in tono Praefationis: *Descendat in hanc plenitudinem* etc. et extrahit.
   Immittit secundo profundius, et eodem tono aliquanto altiori repetit: *Descendat in hanc* etc. et pariter extrahit.
   Immittit tertio usque in fundum, et altiori adhuc voce repetit: *Descendat* etc. et non extrahit.
8. Ter sufflat immediate in aquam in formam tridentalem juxta figuram, ut in Missali, et prosequitur: *Totamque hujus aquae* etc. in eodem tono Praefationis.
9. Post verba: *Foecundet effectu*, extrahit cereum, qui panno abstergitur.

10. Prosequitur Praefationem, quam concludit legendo, scilicet: *Per Dominum nostrum Jesum Christum* etc. et adstantes respondent: *Amen.*
14. Ministrante Presbytero assistente aspersorium, Archiepiscopus aspergit se, et circumstantes cum dicta aqua nihil (a) dicens.
15. Archiepiscopus sedet cum mitra, et interim extrahitur aqua benedicta.
16. Presbyter assistens aspergit Canonicos, et reliquos per Ecclesiam.
17. Archiepiscopus cum mitra surgit, et infundit in aquam Oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Sanctificetur* etc.
18. Deinde similiter Chrisma dicens: *Infusio Chrismatis* etc.
19. Tandem infundit simul utrumque Oleum, pariter in modum Crucis, dicens: *Commixtio Chrismatis* etc.
20. Miscet manu sua Olea infusa cum aqua, et spargit per omnem Fontem.
21. Abstergit manum bombacio: deinde lavat manus more solito cum mica panis.
22. Interim a propriis Parochis disponuntur baptizandi in atrio Ecclesiae ante portam aeneam.

(a) Bauld. hic.



§. VI.

De Parvulorum Catechismo etc. usque ad eorumdem Baptismum.

1. Processionali ritu omnes incedunt extra Januam principalem Ecclesiae, excepto Cereo, qui remanet prope Baptisterium.
2. Ibi omnes se disponunt per duplicatum gyrum, primo Clerici cum Mansionariis, secundo Canonici, itaut juniores sint prope Crucem in capite gyri interioris ad sinistram Archiepiscopi.
3. Archiepiscopus in Faldistorio in limine Portae principalis sedebit.
4. Infantes baptizandi extra limen super brachiis dexteris deferentium in recta linea e regione Archiepiscopi, Masculi in capite lineae ad sinistram ejusdem Archiepiscopi, Foeminae ad dexteram, Patrini singulorum post ipsos.
5. Archiepiscopus sic sedens singulariter singulis dicit: *N. Quid petis* etc. *Fides quid* etc. *Si igitur vis* etc. respondentibus Patrinis, ut in Rituali.
6. Stans cum mitra singulariter singulis ter exsufflat leniter in faciem, dicens: *Exi ab eo, vel ab ea* etc.
7. Tum sedet cum mitra, et singulariter singulis facit signum Crucis in fronte, et in pectore cum pollice, dicens: *Accipe Signum Crucis* etc.
8. Deposita mitra, dicit orationem: *Preces nostras* etc. super omnes in plurali.

9. Stans adhuc sine mitra, imponit manum dexteram super caput singulorum, et tenens manum extensam super eos, dicit: *Oremus: Omnipotens sempiterne Deus* etc. in plurali pro omnibus.

10. Accedente Acolytho cum pelvi, et vasculo salis, ac manutergio, Archiepiscopus adhuc stans sine mitra exorcizat salem, dicens: *Exorcizo te* etc.

11. Sedet cum mitra, et singulis immittit modicum salis in ore, et dicit: *N. accipe salem* etc. cum: *Pax tecum.*

12. Deposita mitra stans, dicit in plurali pro omnibus orationem: *Deus Patrum nostrorum* etc.

13. Accipit mitram, et stans dicit exorcismum in plurali: *Exorcizo te immunde Spiritus* etc.

14. Sic stans cum mitra singulariter singulis facit cum pollice signum Crucis in fronte, dicens: *Et hoc signum* etc.

15. Deposita mitra, imponit manum super caput singulorum; et tenens expansam manum super eos, dicit in plurali pro omnibus orationem: *Æternam* etc.

16. Accipit mitram, et sedet.

17. Proceditur tunc ab omnibus ad Baptisterium eodem ordine, quo supra.

18. Crux, ubi in primo accessu facie ad portam lateralem, ut ibi; Ceteri ad loca sua.

19. Archiepiscopus surgens cum mitra imponit super singulos infantes extremam partem stolae pendentis a suo humero si-

nistro, dicens singulariter singulis *N. N.* et *N.* etc. et postea in plurali: *Ingredimini in templum Dei* etc.

20. Ingressis baptizandis in Ecclesiam, Archiepiscopus deposita mitra, incedens versus Baptisterium, dicit intelligibili voce una cum Patrinis Infantium *Credo*, et *Pater*.

21. Archiepiscopus antequam intret Baptisterium, accipit mitram: et versis renibus ostio cancellorum, dicit super Infantes coram se in linea dispositos exorcismum: *Exorcizo te omnis Spiritus* etc. in numero plurali pro omnibus.

22. Ibidem stans cum mitra, accipit cum pollice de saliva oris sui, et singulariter singulis tangit aurem dexteram, dicens: *Ephpheta*, tum sinistram, dicens: *Quod est adaperire;* postea tangit nares, dicens: *In odorem suavitatis*, et immediate subjungit: *Tu autem effugare diabole* etc. et abstergit digitum cum manutergio.

23. Sedens cum mitra interrogat singulariter singulos *N. Abrenuncias* etc. *Et omnibus operibus* etc. *Et omnibus pompis* etc. respondentibus Patrinis: *Abrenuncio*: adhuc sedens, accedentibus duobus Acolythis cum mappa pro gremio, et uno ex Parochis cum vasculo Olei Catechumenorum a dextris ejus, inungit cum pollice singulariter singulos in pectore, et inter scapulas, dicens semel singulis: *Ego te linio oleo* etc.

24. Absterguntur loca inuncta per unum ex Parochis, et Archiepiscopus digitum suum similiter abstergit bombacio.
25. Recedunt Parochi, et Acolythi praedicti, et aliquantulum se retrahunt baptizandi.
26. Archiepiscopus deponit paramenta violacea, et induitur stola, ac pluviali albi coloris cum pectorali, et mitra auriphrygiata.

§. VII.

De Baptismi administratione.

1. Archiepiscopus praecedente Cruce (a), ingreditur Baptisterium, sequentibus Baptizandis cum suis Patrinis, accedit ad Fontem, et sedet in Faldistorio.
2. Accedentibus Baptizandis, Archiepiscopus singulariter singulos interrogat: *N. Credis in Deum Patrem* etc. *Credis in Jesum Christum* etc. *Credis in Spiritum Sanctum* etc. respondentibus Patrinis: *Credo.* Ac immediate subdit: *N. Vis baptizari?* respondentibus Patrinis: *Volo.*
3. Archiepiscopus surgit cum mitra, et accipiens primum ex baptizandis, ac ipse solus eum sustinens, baptizat eundem trina immersione, dicens: *Ego te baptizo* etc. et illum completa forma, tradit statim susceptoribus.

(a) Corset. tract. 2. par. 2. cap. 2. num. 13.

4. Parochus proprius baptizati caput ejusdem mappula abstergit.
5. Archiepiscopus successive procedit, ut supra, ad Baptismum ceterorum infantium, primo masculorum, deinde foeminarum.
6. Baptizatis omnibus sedet: et iterum extenditur mappa super gremium illius per Acolythos supradictos, et unus de Parochis accedit ad Archiepiscopum cum vasculo Chrismatis a dextris ejusdem.
7. Interim Infantes baptizati per Patrinos singulariter praesentantur Archiepiscopo suo ordine: et Archiepiscopus sedens singulariter pro singulis intingit pollicem in Oleo Chrismatis, et dicens: *Deus Omnipotens* etc. ad illa verba: *Ipse te liniat Chrismate salutis*, inungit in modum Crucis summitatem capitis singulorum.
8. Deinde dicit: *Pax tibi*, et absterguntur pollex, et loca inuncta bombacio, ut supra.
9. Mox eisdem successive imponit capiti linteolum candidum, dicens: *Accipe vestem candidam* etc.
10. Tandem eisdem successive, vel Patrino tradit candelam accensam, dicens: *Accipe lampadem ardentem* etc.
11. Postremo dimittit, dicens: *N. Vade in pace*.
12. Primo dimisso, alios successive inungit, et data veste, et candela, dimittit eodem modo.
13, Patrinos admonet juxta Rituale Romanum.

☞ 14. Interim Caeremoniarius ducat Ordinandos in Presbyterium, et disponat promovendos in Sacris ante Altare pro Litaniis, videlicet Presbyterandos contra medium Altaris, Diaconandos contra cornu Epistolae, Subdiaconandos contra cornu Evangelii, et faciebus ad Altare versis: in minoribus vero circa cancellos Ambonis, et Presbyterii, ita ut primus Acolythandus sit in cornu Evangelii proximior ordinandis in Sacris; Tonsurandos tandem in gradibus inter Chorum, et Presbyterium. Super Altare apponuntur paramenta alba Missalia pro Archiepiscopo cum Pallio: et in Choro ante sedilia Canonicorum alia paramenta alba pro ipsis. *Item ante Altare majus collocatur genuflexorium pro Archiepiscopo, et hinc inde duo pulvinaria violacea pro Diaconis assistentibus.*

15. Archiepiscopus lavat manus more solito.

16. Deponit paramenta alba, et accipit stolam, et pluviale violaceum cum pectorali, et mitra simplici.

17. Omnes ordine, quo venerant, redeunt ad Presbyterium, et Chorum, scilicet:
   1. Clerici viginti in Choro, sex scilicet pro mutatione Sedis Pontificalis: Octo destinati ad gradus Sedis pro exuendis, et induendis Canonicis: Sex demum pro asportandis in aulam paramentis violaceis Canonicorum.
   2. Clerici duo apud Altare pro accendendis candelis Altaris tempore suo.

3. Apud Abacum duo Ceroferarii, qui ibi extinguunt candelas: item duo pro Faldistorio, et pulvinaribus.
4. Ad Cappellas laterales duo Clerici pro discooperiendis Iconibus.
5. Ad Secretarium quatuor Clerici, duo pro deferendis vasis florum pro Altari: duo alii pro intorticiis in delatione Reliquiarum.
6. Tres Mansionarii ad Aulam minorem pro pluvialibus albis.

18. Cereus super candelabrum marmoreum collocatur.

19. Diaconus, et Subdiaconus ad propria scabella, ubi planetas plicatas deponunt; et inde apud genuflexorium Archiepiscopi sic in Albis.

§. VIII.

De Litaniis usque ad principium Missae.

1. Archiepiscopus ante Altare, retenta mitra, deponit pectorale, ac pluviale per manus Diaconi, et Subdiaconi: et ipsis recedentibus ad propria scabella, procumbit in Faldistorio cum Diaconis assistentibus hinc inde.
2. Presbyterandi retro Archiepiscopum, Diaconandi ad dexteram, Subdiaconandi ad sinistram pariter procumbunt.
3. Canonici in Choro genuflectunt sine (a) mitris.

(a) Caerem. Rom. lib. 2. cap. 60.

4. Ceteri omnes tum in Choro, tum in Presbyterio genuflectunt, prout etiam Ordinandi in Minoribus.
5. Duo Cantores genuflexi retro Archiepiscopum versus cornu Epistolae cantant Litanias, ut in Missali, Choro respondente, et repetente omnia, quae ipsi dicunt.
6. Archiepiscopus legit Litanias, accedentibus ante se Ministris de libro et bugia.
7. Dicto *S. Maria*, *Ora pro nobis*, Diaconus, et Subdiaconus procedunt ad Secretarium, ibique Diaconus deposita stola violacea, accipit stolam, et dalmaticam albi coloris, et Subdiaconus tunicellam ejusdem coloris. (1)
8. Item Cruciferarius, et Ministri de pastorali, et mitra in Aulam minorem pro tunicella, et pluvialibus albis.
9. Cum in Litaniis dicitur: *Peccatores*, tunc uno eodemque tempore haec praestantur.
   1. Amovetur ex Altari majori pallium violaceum: accenduntur candelae Altaris, et Abaci, et apponuntur flores,
   2. Per Mansionarios paratos, praecedentibus luminibus deferuntur, et collocantur in Altari statua argentea Beatae Mariae Virginis, et Ostensoria minora cum Reliquiis Sanctorum.
   3. Discooperiuntur Icones Altarium lateralium, et in iis accenduntur candelae.

(1) *S. R. C. 12. Novemb. 1831. Pisana ad 20.*

4. Archiepiscopus surgit, et ante Altare per Diaconum, et Subdiaconum tunc, et non prius, accedentes, deposita mitra, et stola violacea, accipit paramenta Missalia albi coloris cum Pallio Archiepiscopali, recedentibus ad loca sua Diaconis assistentibus inter Canonicos.
5. Canonici in Choro deponunt paramenta violacea, et accipiunt alba.
6. Ministri de libro, et bugia ad Aulam minorem pro deponendis pluvialibus, et statim in cappis redeunt ad Chorum.
7. Unico manus tractu amoventur e Sede, ac baldachino Pontificali tegumenta sericea violacea, artificiose superposita consimilibus indumentis sericis albi coloris auro contextis.
8. Item e Sede Chorali Archiepiscopi removentur vestes exteriores, et pulvinaria violacei coloris, et apponuntur pulvinaria alba.
9. Amoventur omnino duo pulvinaria violacea supposita prius Diaconis assistentibus.
10. Amoventur panni sericei violacei, pendentes a circuitu Altaris posterioris, et Ambonis Archiepiscopalis, jam superpositi albis, ut supra.
11. Cruciferarius ad locum suum paratus.
12. Quatuor Mansionarii, qui attulerunt Reliquias, remanent in suis officiis mitrae, pastoralis, libri, et bugiae: Quin-

tus vero associatus per Acolythum redit in Aulam minorem pro depositione pluvialis, et statim in Chorum cum cappa.

10. Cantores interim post ℣. *Peccatores*, prosequuntur lentiori cantu Litanias, et dum Canonici mutant paramenta, Mansionarii, et alii, qui non sunt impediti, eadem mora respondeant.

11. Archiepiscopus, accepta mitra, et annulo, procumbit iterum inter Diaconum, et Subdiaconum, qui acceptis ibi manipulis, genuflectunt hinc inde.

12. Repetito per Chorum ℣, *Ut omnibus Fidelibus defunctis* etc. Cantores sistunt, et Archiepiscopus surgens cum mitra, vertit se ad Ordinandos procumbentes, et tenens sinistra pastorale, eos, ut in Pontificali ter benedicit cum propriis versiculis: *Ut hos electos* etc. astantibus Ministris de libro, et bugia, quibus dictis Archiepiscopus iterum procumbit.

13. Cantores prosequuntur Litanias usque ad: *Christe exaudi nos* inclusive: quo dicto, et repetito, omnes parati surgunt, et Schola in Choro incipit cantare *Kyrie eleison* pro Missa, prolixa adhibita modulatione.

—

§. IX.

De principio Missae, et Ordinationis.

1. Archiepiscopus, accedentibus Presbytero, et Diaconis assistentibus, surgit, et ante Altare, deposita mitra per Diaconum Evangelii, facit Confessionem cum Psalmo *Judica* etc., et accipit manipulum de more.
2. Canonici in Choro, et Ordinandi in locis, uti in Litaniis, stantes faciunt et ipsi Confessionem ad invicem.
3. Facta Confessione Archiepiscopus ascendit Altare, et osculatur illud, ac librum, et thurificat Altare more solito: quo facto accipit mitram pretiosam, et incensatur a Diacono.
4. Interim discedunt Ordinandi modeste ad sedilia propria circa cancellos Presbyterii a parte Evangelii hoc ordine:
   1. Presbyterandi ad anteriora sedilia, unus post alium, incipiendo a senioribus, qui tenebit locum proximiorem Altari.
   2. Diaconandi similiter in secundo ordine sedilium, ingredientes per aditum in fine sedilium Presbyterandorum.
   3. Subdiaconandi eodem modo in tertio ordine sedilium, per aditum eumdem ingredientes.
5. Archiepiscopus post incensationem ad Sedem Pontificalem cum Presbytero, et

Diaconis assistentibus; ibique deposita mitra, stans dicit: *Kyrie eleison* etc.

☞ 6. (Interim in medio Altaris faldistorium argenteum cum duobus scabellis hinc inde, et cum altero in plano ad latus Evangelii).

7. Archiepiscopus sedet, et sumpta mitra auriphrygiata leviori, procedit ad Altare, ubi sedet in faldistorio, et sumit gremiale: sedentibus etiam in scabellis praedictis Archidiacono, Diacono, et Subdiacono: Diaconi vero assistentes recedunt inter Canonicos.

8. Archidiaconus stans, dicit altà voce: *Accedant omnes qui ordinandi sunt*: et iterum sedet.

9. Per Notarium vocantur nominatim omnes Ordinandi per cognomina, ut expeditius agatur, incipiendo a Presbyterandis et singuli respondent: *Adsum*, ac exeuntes a locis eorum in medium ante Altare genuflectunt singuli Archiepiscopo, et per tres circulos se disponunt in modum coronae coram Archiepiscopo ita, ut primus circulus exterior sit promovendorum ad Sacros Ordines, et senior Presbyterandorum incipiat circulum a parte Epistolae. Secundus circulus, sit Ordinandorum in minoribus, et primus Acolythandus sit in capite circuli, ut supra. Tertius circulus Tonsurandorum, Archiepiscopo proximior.

10. Omnibus sic stantibus, Archiepiscopus

publice interrogat omnes *an sint aliqui non confirmati*, his, vel similibus verbis; *Sunt aliqui, qui non susceperint Sacramentum Confirmationis?* Et quatenus aliquis adsit hujusmodi, Archiepiscopus, depositis gremiali, et chirothecis, lavat manus, deinde reassumit annulum, et confirmat. Lotisque iterum manibus, resumit chirothecas, annulum, et gremiale.

11. Omnibus Ordinandis genuflectentibus in modum coronae, ut supra Archidiaconus stans, palam interdicit his verbis: *Eminentissimus, et Reverendissimus in Christo Pater, et Dominus Fr. Vincentius Maria Ordinis Praedicatorum, Miseratione Divina Episcopus Tusculanus, S. R. E. Cardinalis Ursinus, S. Beneventanae Ecclesiae Archiepiscopus, sub excommunicationis poena praecipit, et mandat omnibus, et singulis in suscipiendis Ordinibus hic praesentibus, ne quis forsan eorum irregularis, aut alias a jure vel ab homine excommunicatus, interdictus, suspensus, spurius, infamis, aut alias a jure prohibitus, sive ex aliena Dioecesi oriundus sine licentia sui Episcopi, aut non descriptus, examinatus, approbatus et nominatus, ullo pacto audeat ad suscipiendos Ordines accedere. Et quod nullus ex Ordinatis discedat, nisi Missa finita: et benedictionis Pontificis accepta.*

22. Surgunt deinde Ordinandi, et remanentibus Tonsurandis, redeunt ad loca sua ordinatim, ita ut primo discedant Ordi-

nandi ad Minores prout stant, postea Subdiaconandi per aditum in capite sedilium; Diaconandi similiter, et Presbyterandi, ut in primo recessu post Litanias.

§. X.

De Clerico faciendo.

1. Archidiaconus iterum dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad primam Clericalem Tonsuram.*
2. Vocantur Tonsurandi, qui genuflectunt, dicentes: *Adsum.*
3. Archiepiscopus deposito gremiali, stans cum mitra dicit ℣. *Sit nomen Domini* etc. *Adjutorium* etc. *Oremus Fratres charissimi* etc. manibus junctis, et iterum sedet.
4. Schola inchoat, et prosequitur Antiphonam: *Tu es Domine, qui* etc. usque ad illa verba *Per labia mea* inclusive, et sine *Gloria Patri* repetitur Antiphona: *Tu es.* etc.
5. Interim accedentibus duobus Acolythis cum lineo gremiali, et altero cum forficibus super pelvi, Archiepiscopus incidit unicuique, ante ipsum in superiori gradu genuflexo, extremitates capillorum in fronte, in occipitio, in utraque parte aurium, et in medio capitis.
6. Quilibet eorum, tum tondetur dicit: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: Tu es qui restitues haereditatem meam mihi.*

(Si vero multitudo Tonsurandorum id exegerit, remanentibus illis genuflexis, ut supra., et in modum coronae dispositis Archiepiscopus descendens ab Altari, stans (a) cum mitra incidet eorum capillos, ut dictum est.

Idem modus teneri potest in consimilibus actionibus in collatione minorum, Sacrorumque Ordinum, si pariter ab Ordinandorum multitudine requiratur).

7. Tonsis omnibus, Archiepiscopus, deposita mitra, stans versus ad illos, dicit: *Oremus: Praesta quaesumus* etc. postea sedet cum mitra, et gremiali.
8. Tunc Schola inchoat, et prosequitur Antiphonam: *Hi accipient* etc. cum Psalm. *Domini est terra* etc. et cum *Gloria Patri* in fine, et repetitur Antiphona: quae omnia Archiepiscopus legit.
9. Repetita Antiphona, Archiepiscopus, depositis gremiali, et mitra, surgit, et vertit se ad Altare, et Diaconus, et Subdiaconus unus post alium retro Archiepiscopum.
10. Archiepiscopus dicit: *Oremus*, Diaconus: *Flectamus genua* (genuflectentibus omnibus praeter Archiepiscopum) et Subdiaconus: *Levate*, surgentibus omnibus.
11. Archiepiscopus iterum vertens se ad Tonsuratos genuflexos, dicit orationem:

(a) Argum. a Pont. Rom. in Rubr. de Confirmand. et ex praxi. Eccl. Parisien.

Adesto Domine etc. habens hinc inde Diaconum, et Subdiaconum.

12. Postea sedet cum mitra, et gremiali, et unumquemque eorum ante se in gradu superiori genuflexum induit superpelliceo, dicens: *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et Sanctitate veritatis.*

13. Deposito gremiali, et mitra, stans dicit versus Tonsuratos: *Oremus*: *Omnipotens sempiterne Deus* etc.

14. Tandem sedens cum mitra, et gremiali, Tonsuratos alloquitur his verbis: *Filii charissimi* etc.

15. Archidiaconus dicit: *Recedant in partem, qui ordinati sunt Clerici*, et Tonsurati ad propria loca redeunt.

16. Archiepiscopus deposito gremiali, cum Archidiacono, et Diaconis assistentibus ad sedem; Diaconus et Subdiaconus apud Altare in propriis scabellis.

☞ 17. Deposita mitra, intonat Hymnum: *Gloria in excelsis* etc. quo per ipsum completo, sedet cum mitra, et gremiali, omnibus pariter sedentibus.

18. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur campanae, et tanguntur Organa, Musicis Hymnum prosequentibus.

19. Organa deinceps pulsantur, quoties Chorus, et Archiepiscopus non cantat in Missa, vel non legit, aut cantat aliquid in collatione Ordinum: *Et super hoc advertat Organista.*

20. Circa finem Hymni Archiepiscopus, deposito gremiali, procedit ad Altare pro Ordinibus Minoribus conferendis cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

§. XI.

De Collatione Minorum Ordinum.

OSTIARIATUS

1. Sedente Archiepiscopo cum mitra, et gremiali, Archidiaconus clara voce dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Ostiariorum.*
2. Vocantur Ordinandi ad Ostiariatum, qui respondentes: *Adsum*, accedunt, et genuflectunt ante Archiepiscopum, semicirculum efformantes.
3. Archiepiscopus illos admonet, dicens: *Suscepturi Filii charissimi* etc.
4. Afferuntur super pelvim ab Acolytho claves Ecclesiae.
5. Archiepiscopus accipit, et tradit claves Ordinandis ante se genuflexis, binis, aut quaternis secundum eorum numerum; ac tangentibus manibus dexteris dicit: *Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus clauduntur.*
6. Ordinati, ducente Archidiacono, claudunt, et aperiunt Januam Ecclesiae, et

Campanas pulsant; deinde redeunt ad Archiepiscopum, et genuflectunt.

7. Archiepiscopus, deposito gremiali, stans cum mitra dicit: *Deum Patrem* etc.

8. Deinde deposita mitra, dicit: *Oremus;* Diaconus: *Flectamus genua;* Subdiaconus: *Levate;* uti supra, et Orationem *Domine Sancte Pater* etc.

9. Sedente Archiepiscopo cum mitra, et gremiali, Archidiaconus dicit: *Recedant in partem, qui ordinati sunt ad Officium Ostiariorum.*

LECTORATUS.

10. Ostiariis recedentibus, successive dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Lectorum.*

11. Vocantur ordinandi ad Lectoratum, qui respondent, et genuflectunt, ut supra.

12. Admonentur ab Archiepiscopo his verbis: *Electi filii charissimi* etc.

13. Affertur per Acolythum liber Lectionum: et Ordinandi genuflexi ante Archiepiscopum bini, aut quaterni, ut supra, tangunt Librum, Archiepiscopo porrigente, et eodem tempore dicente: *Accipite, et estote Verbi Dei relatores, habituri, si fideliter, et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis qui Verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

14. Archiepiscopus, deposito gremiali stans cum mitra dicit: *Oremus: Fratres charissimi* etc.

15. Deinde, deposita mitra, praemissis: *Oremus* et *Flectamus genua*, ut supra, dicit orationem : *Domine Sancte Pater* etc.
16. Archiepiscopus sedet cum mitra, et gremiali, et Archidiaconus dicit : *Recedant in partem, qui ordinati sunt ad Officium Lectorum.*

EXORCISTATUS

17. Recedentibus Lectoribus successive dicit : *Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Exorcistarum.*
18. Vocantur ordinandi ad Exorcistatum, respondentes, et genuflectentes ut supra.
19. Admonentur ab Archiepiscopo his verbis : *Ordinandi filii charissimi* etc.
20. Affertur per Acolythum liber Exorcismorum, vel Rituale : et Ordinandi genuflexi ante Archiepiscopum, prout supra, tangunt Librum, porrigente Archiepiscopo, et dicente : *Accipite, et commendate memoriae, et habete potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos sive Cathecumenos.*
21. Archiepiscopus deposito gremiali, stans cum mitra, dicit : *Deum Patrem Omnipotentem* etc.
22. Deinde, deposita mitra, praemissis: *Oremus*, et *Flectamus genua*, ut alias, dicit orationem : *Domine Sancte Pater* etc.
23. Archiepiscopus sedet cum mitra, et gremiali, et Archidiaconus dicit : *Recedant*

in partem, qui ordinati sunt ad Officium Exorcistarum.

ACOLYTHATUS

24. Recedentibus Exorcistis, dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Officium Acolythorum.*
25. Vocantur Ordinandi ad Acolythatum, qui respondent, et genuflectunt, ut supra.
26. Admonentur ab Archiepiscopo hisce verbis: *Suscepturi filii charissimi* etc.
27. Afferuntur per Acolythum unum candelabrum cum candela extincta, et unus urceolus vacuus super pelvim.
28. Ordinandi genuflexi ante Archiepiscopum bini, aut quaterni, ut supra, tangunt manu dextera primo candelabrum, porrigente Archiepiscopo, et dicente: *Accipite Ceroferarium cum cereo, et sciatis, vos ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* ℟. *Amen.* Deinde tangunt Urceolum vacuum, porrigente, et dicente Archiepiscopo: *Accipite urceolum, ad suggendum vinum, et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi in nomine Domini.* ℟. *Amen.*
29. Archiepiscopus, deposito gremiali, stans cum mitra dicit: *Deum Patrem Omnipotentem* etc.
30. Deposita mitra, praemissis: *Oremus: Flectamus genua:* etc. dicit tres Orationes super ordinatos, scilicet: *Domine*

Sancte Pater Omnipotes sempiterne Deus, qui per Jesum etc. et *Oremus: Domine Sancte Pater Omnipotens sempiterne Deus, qui ad Moysen etc.* et *Oremus: Omnipotens sempiterne Deus fons lucis* etc.

31. Archiepiscopus sedens accipit mitram, Archidiaconus dicit: *Recedant in partem qui ordinati sunt ad Officium Acolythorum.*

32. Tanguntur Organa; et recedunt Acolythi novi.

33. Archiepiscopus ad Sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, Diacono, et Subdiacono manentibus in propriis locis.

☞ 34 Deposita mitra, dicit: *Pax vobis*, et orationem Missae: *Deus qui hanc Sacratissimam noctem* etc. cum Collecta pro Ordinandis: *Exaudi quaesumus Domine* etc. sub unica conclusione.

§. XII.

De Ordinatione Subdiaconi.

1. Archiepiscopus ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis inter Canonicos: et sedet cum mitra, et gremiali.

2. Archidiaconus stans, dicit: *Accedant, qui ordinandi sunt Subdiaconi.*

3. Vocantur Subdiaconandi cum eorum titulis.

4. Hi, si erunt ex Clero saeculari, post de-

bitas reverentias stabunt, semicirculum facientes ante Archiepiscopum, eos alloquentem his verbis: *Filii dilectissimi* etc. Si vero ex Clero Regulari, factis debitis reverentiis in partem se retrahunt, durante alloquutione, ut supra.

5. Omnes deinde conjunctim in modum coronae genuflexos Archiepiscopus admonet, dicens: *Adepturi Filii dilectissimi* etc.

6. Affertur per aliquem Subdiaconum Calix vacuus cum patena vacua.

7. Archiepiscopus sedens, ut supra, tradit singulis ante se genuflexis, ac tangentibus Calicem cum patena superposita, dicens unicuique: *Vide cujus ministerium tibi traditur; ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.*

8. Singuli successive urceolos cum vino, et aqua cum pelvicula, et manutergio tangunt, Archidiacono porrigente, et iterum ante Archiepiscopum genuflectunt.

9. Archiepiscopus, deposito gremiali, stans cum mitra, dicit: *Oremus: Deum ac Dominum* etc.

10. Deinde deposita mitra, praemissis: *Oremus cum: Flectamus genua* etc. dicit Orationem: *Domine Sancte Pater* etc.

11. Archiepiscopus sedens cum mitra, et gremiali, singulis Ordinandis imponit:

1. Amictum, dicens: *Accipe Amictum, per quem designatur castigatio vocis: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, et ℟. Amen* per ipsos.

2. Manipulum, dicens: *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, et* ℟. *Amen.*

3. Tunicellam, et dicit: *Tunica jucunditatis, et indumento laetitiae induat te Dominus: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti, et* ℟. *Amen.*
Et Acolythi adjuvant, et aptant.

12. Affertur Liber Epistolarum per Acolythum.

13. Indutis omnibus, et accedentibus binis, aut quaternis, ut supra, Archiepiscopus tradit Librum Epistolarum, quem tangunt manu dextera genuflexi: dicente Archiepiscopo: *Accipite Librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei tam pro vivis quam pro defunctis: In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti.* ℟. *Amen,*

14. Archidiaconus dicit: *Recedant in partem qui ordinati sunt Subdiaconi*, et omnes Ordinati recedunt ad loca sua.

15. Archiepiscopus deposito gremiali, accedit ad Sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, Diacono, et Subdiacono remanentibus in propriis locis.

16. Sedet, accepto gremiali, et accedentibus Ministris, legit Epistolam.

16. Interim Subdiaconus ex noviter ordinatis, accepto Libro, accedit cum debitis reverentiis ad Ambonem et Epistolam cantat.

18. Completa Epistola, Subdiaconus ipse, dimisso Libro in manibus Caeremoniarii, vel in Legili, accedit manibus junctis ante gradus Sedis Archiepiscopi, et facta ibi genuflexione, clara (a) voce sine cantu dicit.

Eminentissime, ac Reverendissime Pater annuncio Vobis gaudium magnum, quod est Alleluja (1):

19. Idem ascendens statim ad Archiepiscopum, osculatur ejus manum genuflexus, descendit, iterum genuflectit in plano, et redit ad locum.

§. XIII.

De Ordinatione Diaconi.

1. Archiepiscopus, dimisso gremiali, accedit ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.

2. Sedente Archiepiscopo cum gremiali, Archidiaconus dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad Diaconatum.*

3. Vocantur Ordinandi ad Diaconatum, et hi respondentes, ut supra, genuflectunt in modum coronae ante Archiepiscopum.

(a) Caerem. Episc. Bauld. Castald. hic.

(1) *Si Celebrans non sit S. R. E. Cardinalis omittitur* EMINENTISSIME, *dicendo tantum:* REVERENDISSIME PATER *etc.*

4. Archidiaconus Archiepiscopo: *Eminentissime et Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hos praesentes Subdiaconos ad ordinem Diaconii ordinetis.*
5. Dicente Archiepiscopo: *Scis illos dignos esse?* ℟. *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus Officii:* et Archiepiscopus: *Deo gratias.*
6. Archiepiscopus sedens, ut prius, dicit Clero, ac populo: *Auxiliante Domino* etc.
7. Adhuc sedens, post aliqualem moram dicit Ordinandis: *Provehendi* etc.
8. Item sedens alloquitur Clerum, et populum dicens: *Commune votum* etc.
9. Archiepiscopus, deposito gremiali, stans cum mitra dicit: *Oremus: Fratres charissimi* etc.
10. Deposita mitra subjungit Prefationem manibus extensis, intra quam, manu dextera posita super caput singulorum ante se genuflexorum, dicit: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum Diabolo, et tentationibus ejus in nomine Domini.* Prosequitur Praefationem, tenens manum dexteram extensam, ac tandem eam concludit legendo, et Presbyter librum substentat.
11. Archiepiscopus sedens cum mitra, et gremiali, singulis Ordinandis (aptantibus Acolythis) imponit.
1. Stolam super humerum sinistrum, di-

cens : *Accipe Stolam* ✠ *candidam de manu Dei : adimple ministerium tuum, potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam : Qui vivit, et regnat in saecula saeculorum.* ℟. *Amen.*

2. Dalmaticam, dicens : *Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento laetitiae, et Dalmatica justitiae circumdet te semper : In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

12. Affertur Liber Evangeliorum, et Archiepiscopus tradit illum binis, aut quaternis ante se genuflexis : et dextera manu tangentibus, dicens : *Accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis : In nomine Domini.* ℟. *Amen.*

13. Archiepiscopus, depositis gremiali, et mitra, surgit, et dicto : *Oremus* cum *Flectamus genua*, ut alias, dicit orationes : *Exaudi Domine* etc. et *Domine Sancte Pater* etc.

14. Archidiaconus dicit : *Recedant in partem qui ordinati sunt Diaconi* : et omnes redeunt ad propria loca.

15. Archiepiscopus, accepta mitra, redit ad Sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, remanente Diacono, et Subdiacono in propriis locis.

16. Sedente Archiepiscopo cum mitra, ultimus Canonicus Subdiaconus ante Sedem Archiepiscopi, et illi praeintonat: *Alleluja.*

17. Archiepiscopus, deposita mitra, et accedentibus Ministris, stans cantat alter-

natem cum Choro ter *Alleluja*, gradatim levando vocem, Presbytero sustinente librum.

Dum Archiepiscopus cantat, ut supra, Alleluja, *apponuntur in thymiamaterio, collocato in medio soleae retro Altare versus populum, thymiama, et odoramenta dicta pastilli hyspani* (a).

18. Deinde sedens cum mitra, et gremiali legit ℣. et Tractum usque ad versum: *Quoniam* etc. exclusive, et Chorus eadem cantat.

19. Canonicus Subdiaconus interim revertitur ad proprium locum.

§. XIV.

De Ordinatione Presbyteri.

1. Archiepiscopus, dimisso gremiali, accedit ad Altare cum Archidiacono, Diacono, et Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.
2. Sedente Archiepiscopo cum gremiali, Archidiaconus dicit: *Accedant qui ordinandi sunt ad ordinem Presbyteratus.*
3. Vocantur ordinandi ad Presbyteratum, qui omnes respondentes, ut supra, genuflectunt in modum coronae ante Archiepiscopum.
4. Archidiaconus Archiepiscopo: *Eminen-*

(a) Ex consuetud. Eccles. Prov. Apul.

tissime et Reverendissime Pater, *postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica*, *ut hos praesentes Diaconos ad onus Presbyterii ordinetis.*

5. Dicente Archiepiscopo: *Scis illos esse dignos?* ℟. *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor, ipsos dignos esse ad hujus onus officii*: et Archiepiscopus: *Deo gratias.*
6. Archiepiscopus sic sedens, dicit Clero, et populo: *Quoniam Fratres charissimi* etc.
7. Adhuc sedens, post aliquam moram dicit ad Ordinandos: *Consecrandi Filii* etc.
8. Archiepiscopus, deposito gremiali, stans cum mitra, ponit ambas manus super caput singulorum Ordinandorum ante se genuflexorum.
9. Canonici Presbyteri, facta sine mitris Altari, et Archiepiscopo reverentia, resumunt mitras, et ambas manus ponunt singuli super singulos Ordinandos, et inde in modum coronae post ipsos Ordinandos se disponunt.
10. Archiepiscopus manu dextera super Ordinandos extensa, prout etiam extendunt Canonici praedicti stantes cum mitris, dicit: *Oremus*: *Fratres charissimi* etc.
11. Archiepiscopus sedet, et Canonici, factis sine mitra debitis reverentiis, revertuntur ad loca sua.
12. Archiepiscopus, deposita mitra, stans, praemissis: *Oremus*, et *Flectamus genua*, ut alias, dicit orationem: *Exaudi nos quaesumus* etc.

13. Extensis manibus subjungit *Praefationem*, quam concludit legendo, et Presbyter sustinet librum.

14. Sedens cum mitra, singulis Ordinandis ante se genuflexis.

1. Reflectit, et aptat Stolam ante pectus singulorum in modum Crucis, dicens: *Accipe jugum Domini: jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve.*

2. Imponit eisdem Planetam complicatam super humeros, dicens: *Accipe Vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem, et opus perfectum.* ℟. *Deo gratias.*

15. Omnibus Ordinandis (a) genuflectentibus, Archiepiscopus, depositis gremiali, et mitra, stans dicit: *Deus Sanctificationum* etc.

16. Archiepiscopus vertit se ad Altare, et genuflectentibus etiam omnibus aliis de Clero, et populo, stans intonat hymnum: *Veni Creator Spiritus*, et statim genuflectit et ipse usque ad finem cantus illius primae strophae.

17. Schola prosequitur Hymnum intermodulantibus Organis, protrahendo cantum ejus usque ad totam manuum unctionem.

18. Completa prima stropha Hymni, omnes surgunt, et Archiepiscopus sedet, acci-

(a) **Castald. lib. 2. Sect. 15. cap. 8. n. 6.**

pit mitram, deponit chirothecas, reassumit annulum.

19. Acolythi cum lineo gremiali, et Minister cum vasculo Olei Catechumenorum ad Archiepiscopum.

20. Accedunt Presbyteri omnes singuli successive, et genuflectunt ante Archiepiscopum, qui intincto pollice in Oleo Catechumenorum inungit, et benedicit eorum manus apertas, et simul junctas, dicens; *Consecrare, et Sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam unctionem, et nostram Bene ✠ dictionem* ℟. *Amen. Ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint consecrentur, et Sanctificentur: In nomine Domini nostri Jesu Christi.*

Respondetur *Amen* per Ordinandos.

21. Archiepiscopus claudit cuilibet successive manus inunctas, ita tamen, ut pollices non superponantur alter alteri, et dextera super sinistram teneatur.

22. Tunc per aliquem Mansionarium ligantur manus singulorum aliquo panniculo albo.

23. Affertur Calix cum vino, et aqua intus, ac patena cum Hostia desuper.

24. Archiepiscopus extenso pollice mica panis, vel bombacio, tradit singulis ante se genuflexis Calicem praedictum, ita ut ipsi accipiant patenam cum Hostia superpositam Calici inter indices, et medios digitos, et simul tangant cuppam Calicis,

ac patenam, et dicit singulis: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini.* ℟. *Amen.*

25. Ordinatis omnibus, Archiepiscopus more solito lavat manus, adhibita medulla panis, postea resumit chirothecas, et annulum.

26. Eodem tempore Ordinati incedunt omnes bini ad Aulam minorem pro ablutione manuum, pariter adhibita medulla panis, et statim redeunt ad propria loca.

§. XV.

De prosequutione Missae, et Communione Ordinatorum.

1. Archiepiscopus accedit ad Sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, remanentibus prope Altare Diacono, et Subdiacono ad sua scabella.
2. Interim Chorus prosequitur ultimum versum Tractus Missae: *Quoniam confirmata est* etc., quem versum Archiepiscopus, sedens cum mitra, et gremiali, legit una cum Evangelio sequenti.
3. Removetur Faldistorium cum scabellis ab Altari.
4. Diaconus (unus ex noviter ordinatis) accepto Libro ex Abaco, more solito defert illum super Altare: mox ad osculum manus Archiepiscopi: deinde ante Altare pro *Munda cor meum.*

5. Archiepiscopus de more imponit incensum, et benedicit.
6. Diaconus accipit Librum ex Altari, et praecedentibus Caeremoniario, Thuriferario, et duobus Acolythis sine candelabris, manus junctas tenentibus, et Subdiacono subsequente, procedit ad Archiepiscopum pro benedictione, deinde ad Ambonem pro Evangelio.
7. Archiepiscopus, depositis gremiali, et mitra, surgit, surgentibus omnibus, et accipit pastorale, et cantatur Evangelium.
8. Archiepiscopus, deposito pastorali, osculatur Librum de more, et incensatur.
9. Non dicitur Symbolum.
10. Archiepiscopus dicit: *Dominus vobiscum, et Oremus:* et immediate sedet, et sumit mitram pretiosam.
11. Non dicitur Offertorium.
12. Faldistorium, et scabella ad Altare.
13. Archiepiscopus procedit ad Altare cum Presbytero, et Diacono, ac Subdiacono, recedentibus Diaconis assistentibus inter Canonicos.
14. Archiepiscopus sedet, et apponentibus Acolythis super genibus ejus hinc inde lineum gremiale, accipit ab Ordinatis binis ante se genuflexis oblationem cereorum cum osculo cerei, et manus.
15. Interim aptantur in medio Presbyterii scamna oblonga pannis cooperta, et super ipsis Missalia rite signaculis praeparata, juxta numerum Presbyterorum.

16. Archiepiscopus, accedente Acolytho cum pelvi, deponit annulum, et chirothecas, et lavat manus, reassumens postea annulum.
17. Archiepiscopus deponit mitram, et surgit: et amoventur faldistorium, et scabella.
18. Interim Presbyteri noviter ordinati accedunt ad scamna praedicta e regione Altaris: et Diaconi assistentes ante Altare, ut in aliis Missis.
19. Archiepiscopus versus ad Altare prosequitur Missam una cum Presbyteris ordinatis genuflexis ad scamna, ita ut Secreta morose, et aliquantulum alte legat.
20. In oblatione Hostiae offeruntur etiam Particulae pro numero Ordinatorum in Pyxide.
21. In Missa non dicitur *Agnus Dei* neque datur osculum Pacis: dicuntur tamen tres consuetae orationes ante Communionem, ut in Missali.
22. Archiepiscopus, sumpto Sanguine, immediate, Diacono a dextera tenente Pyxidem, et Subdiacono a sinistra Patenam, communicat Sacerdotes binos, et binos in supremo gradu Altaris genuflexos, dicens singulis: *Corpus Domini nostri* etc.
23. Communicati recipiunt purificationem in cornu Epistolae, uti in Communione generali Feriae V. in Coena Domini.
24. Interim exeunt in Presbyterium Dia-

coni, Subdiaconi, et omnes alii Ordinati; et in modum coronae duplici circulo genuflectunt versus Altare.

25. Communicatis Presbyteris, Archiepiscopus, Diaconus, et Subdiaconus vertunt se ad Altare: et collocata Pyxide super illo, ac cooperta cum patena per Subdiaconum, genuflectunt.

26. Archiepiscopus se retrahit e medio versus cornu Evangelii conversus ad Ordinatos: Diaconus retro ipsum in secundo gradu: Subdiaconus infra Diaconum in plano.

27. Tunc primus de Diaconis noviter ordinatis, qui erat in capite circuli, in plano Epistolae cantat *Confiteor* etc. stans versus Archiepiscopum, genuflectendo ad verba *Tibi Pater, et Te Pater.*

28. Archiepiscopus dicit: *Misereatur vestri* etc. *et Indulgentiam* etc. et communicat, ut alias, omnes Ordinatos, binos accedentes, et genuflexos.

29. Communicati se purificant in cornu Epistolae, ut supra.

§. XVI.

De Conclusione Ordinationis Presbyterorum.

1. Archiepiscopus, peracta Communione, se purificat, ac manus lavat de more cum mitra.

2. Deposita deinde mitra, ibidem in cornu

Epistolae, stans versus ad Altare, inchoat cum cantu, prosequente Schola, Responsorium: *Jam non dicam vos servos* etc.

3. Interim Diaconi assistentes ad loca sua inter Canonicos.
4. Archiepiscopus, resumpta mitra, vertit se ad Presbyteros ordinatos, qui stantes coram ipso profitentur Fidem, recitando Symbolum Apostolicum: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Coeli, et Terrae* etc.
5. Interim faldistorium ad Altare cum scabellis.
6. Sedet Archiepiscopus cum mitra, et accipit gremiale, et singulis Presbyteris ante se genuflexis.
   1. Imponit ambas manus super caput, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris retenta sunt.*
   2. Explicat posteriorem partem Casulae, quae erat complicata, dicens: *Stola innocentiae induat te Dominus.*
   3. Tenens inter manus suas singulorum Presbyterorum manus junctas, dicit: *Promittis mihi, et Successoribus meis reverentiam, et obedientiam?* et illis respondentibus: *Promitto*, recipit eosdem ad osculum pacis, dicens: *Pax Domini sit semper tecum.* ℟. *Amen.* Si vero fuerint ex aliena Dioecesi, vel Regulares, dicit: *Promittis Pontifici* etc.

vel *Promittis Praelato* etc. ut in Pontificali.

7. Omnibus iterum dispositis in modum coronae, et genuflexis, Archiepiscopus, deposito gremiali, sedens, cum mitra, et pastorali admonet illos dicens: *Quia res, quam tractaturi estis* etc. tum surgens benedicit, dicens: *Benedictio Dei Omnipotentis* etc.
8. Archiepiscopus, facta reverentia Cruci, accedit ad Sedem cum Presbytero, et Diaconis assistentibus, recedentibus Diacono, et Subdiacono ad scabella etc.
9. Ordinati Presbyteri ad loca sua.

§. XVII.

De Vesperis.

1. Chorus incipit Vesperas ab *Alleluja*, et prosequitur Psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes* etc. interim Archiepiscopus eadem legit.
2. Dum repetitur Antiphona, Canonicus ultimus Subdiaconus ad Archiepiscopum, et praeintonat Ant. *Vespere* etc.
3. Archiepiscopus stans sine mitra intonat Ant. *Vespere* etc. et assumpta mitra pretiosa, ac sedens ministrat incensum.
4. Ad *Magnificat* procedit ad Altáre, quod thurificat, ut in aliis Vesperis, ministrantibus apud Altare etiam Diacono, et Subdiacono.

5. Archiepiscopus in Sede; et incensatur a Presbytero assistente.
6. Canonicus ultimus Subdiaconus incensat de more Assistentes, Canonicos paratos hinc inde Diaconum, et Subdiaconum Missae in scabellis, deinde Vicarium Generalem, et Protonotarios.
7. Caeremoniarius deinde incensat ipsum Subdiaconum, postea Mansionarios, et Ordinatos paratos omnes simul triplici ductu: Thuriferarius denique reliquos omnes.
8. Dum repetitur Antiphona Archiepiscopus sedet, et accipit mitram pretiosam.
9. Procedit ad Altare, ubi accedentibus Diacono, et Subdiacono, deponit mitram, osculatur Altare, et dicit *Dominus vobiscum* : *Oremus*, et orationem postcommunionem *Spiritum nobis Domine* etc. cum Collecta Ordinatorum : *Quos tuis Domine* etc. sub unica conclusione.
10. Archiepiscopus iterum in medio dicit: *Dominus vobiscum*, et Diaconus in Ambone: *Ite Missa est, Alleluja, Alleluja.*
11. Archiepiscopus dicto *Placeat*, dat solemnem Benedictionem de more.
12. Affertur faldistorium, Archiepiscopus sedet, et accipit mitram et gremiale.
13. Interim Presbyter assistens publicat Indulgentias.
14. Diaconi assistentes recedunt ad loca sua in Choro.
15. Genuflectunt omnes Ordinati, et atten-

te audiunt Archiepiscopum eos sic alloquentem: *Filii dilectissimi, diligenter* etc.
16. Redeunt Diaconi assistentes ante Altare.
17. Archiepiscopus deponit gremiale, et mitram, et surgens, amoto faldistorio, deponit pallium super Altare.
18. Incipit ultimum Evangelium: tum accepta ibidem mitra, prosequens Evangelium procedit ad Sedem suam cum Assistentibus.
19. Acolythi deferunt in Chorum Cappas pro Canonicis.
20. Diaconus, et Subdiaconus sine manipulis ad Archiepiscopum, recedentibus Diaconis.
21. Acolythi ad Sedem pro paramentis Archiepiscopi reportandis.
22. Archiepiscopus deponit paramenta, quae super Altari collocantur, et velo albo nobiliori cooperiuntur.
23. Interim etiam Canonici deponunt paramenta sua, et accipiunt cappas.
24. Cruciferarius, et Ministri parati ad Aulam minorem pro deponendis paramentis.
25. Accedunt ad Archiepiscopum Diaconi assistentes cum cappis, et Diaconus, et Subdiaconus recedunt ad scabella sua prope Altare.
26. Subdiaconus more solito cum Acolythis, et Scutifero ad Archiepiscopum pro sandaliis detrahendis.
27. Archiepiscopus legit Antiph. *Trium Puerorum* etc. cum *Alleluja*, et Canticum, ac Psalmum pro gratiarum actione.

28. Eo tempore Ordinati, incipiendo a dignioribus Presbyteris, bini cum debitis reverentiis recedunt ad Aulam majorem pro dimissione paramentorum, praecedentibus duobus Acolythis, et Caeremoniario.

29. Diaconus, et Subdiaconus in Secretarium pro dimissione paramentorum.

30. Tandem Archiepiscopus facta oratione ante Altare in faldistorio, discedit cum solito comitatu.

31. Per Sacristam Mansionarium cum stola, et velo albi coloris reportatur Pixis (a) cum SS. Sacramento ex Oratorio secreto ad propriam Cappellam cum luminibus etc.

32. Postquam Eminentissimus discesserit, extinguuntur cerei Altaris.

33. Item tres candelae in cuspide arundinis, quae amplius non accenduntur, et Arundo ipsa amovetur omnino.

34. Item extinguitur Cereus Paschalis, qui tamen remanens in suo marmoreo candelabro, accendetur:

1. Ad Completorium hujus diei.
2. Ad Matutinum, Laudes, Missam, Vesperas, et Completorium sequentis Dominicae Resurrectionis.
3. Ad Laudes, Missam, et Vesperas in duobus Festis sequentibus, in Dominicis, ac Festis Domini, et Sanctorum de praecepto.

(a) Bauld.

4. Ad Missam tantum in diebus Festis non de praecepto, sed solemniter celebratis in hac Sancta Ecclesia Metropolitana.
5. Item ad Missas votivas solemnes pro re gravi, modo non adhibeatur color violaceus (a), unde non est accendendus in Missis majorunr, minorumque Litaniarum.
6. Ad primas Vesperas, Laudes, et Missam in die Ascensionis usque ad Evangelium inclusive, quo dicto, Cereus extinguitur, et completa Missa removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad Benedictionem Fontis.

§. XVIII.

De Completorio.

1. Sonus harmonicus Campanarum hora congrua pro Completorio, et Sermone Mariano.
2. Archiepiscopus cum cappa associatus, ut alias, ad Ecclesiam, et pulsantur Organa.
3. Idem post aspersionem, et orationem ante Altare Sacelli Sanctissimi Sacramenti, et majus, ad suam Sedem Choralem, et sedet, sedentibus omnibus.

(a) Bauld. hac die art. 9. n. 24.

4. Post aliquam moram surgunt omnes, et dicente Cantore cum cantu in medio Chori: *Jube Domne benedicere*, Archiepiscopus respondebit: *Noctem quietam* etc.
5. Post Lectionem brevem Archiepiscopus signans se signo crucis subjungit: *Adjutorium nostrum* etc.
6. Deinde, dicto secreto *Pater noster*, Archiepiscopus facit Confessionem, et absolutionem, dicens: *Confiteor* etc. *Misereatur vestri* etc. *Indulgentiam* etc.
7. Intonat deinde cum cantu: *Converte nos* etc. *Deus in adjutorium* etc.
8. Dicitur *Gloria Patri* etc. et in fine non amplius: *Laus tibi Domine* etc. sed *Alleluja*.
9. Chorus intonat sine Antiphona Psalmum: *Cum invocarem* etc. cum reliquis consuetis.
10. Completis dictis Psalmis, surgunt omnes, et omissis Antiphona, Hymno, Capitulo, et Responsorio brevi hebdomadarius (a) Mansionarius inchoabit Antiphonam: *Vespere autem Sabbati* etc. quae non (b) duplicatur, sed immediate Cantores intonant Canticum: *Nunc dimittis* etc.
11. Dum repetitur Antiphona, omnes sedent, eaque completa, surgunt et Archiepiscopus accedentibus Ministris de Libro, et bugia tantum, cantabit praemis-

(a) Caerem. Episc. Lib. 2. cap. 4.
(b) Bauld. et Castald. hic.

so *Dominus vobiscum*, orationem: *Visita* etc.

12. Archiepiscopus subjungit: *Dominus vobiscum*: Duo Cantores in medio Chori: *Benedicamus Domino*, et responsa per Chorum: *Deo gratias*. Archiepiscopus dicit: *Benedicat, et custodiat nos* etc. signans se de more.

13. Deinde Hebdomadarius Mansionarius inchoat in Cantu Antiphonam: *Regina Coeli*, Cantoribus prosequentibus.

14. Completa Antiphona, idem Hebdomadarius subjunget in cantu versiculum: *Gaude et laetare* etc. et orationem: *Deus, qui per Resurrectionem* etc.

15. Responso *Amen*, Archiepiscopus dicit: *Divinum Auxilium* etc. et dictis secreto *Pater*, *Ave*, *Credo*, concluditur Completorium.

16. Archiepiscopus deinde ad Ambonem, et ex Saggestu suo Pontificali habebit, prout assolet, sermonem de Beata Maria, etenim singulis Sabbatis, expleto Completorio in hac Sancta Metropolitana Ecclesia, Deiparae Virgini dedicata, vel per ipsummet Eminentissimum Archiepiscopum, vel eo absente, per unum ex patribus Ordinis Praedicatorum (ex ejusdem Eminentissimi perpetua fundatione) laudes praecelsae Genitricis Dei Mariae perenniter celebrantur.

17. Deinde recitantur Litaniae Lauretanae, in quarum fine Oratio per Archiepiscopum.

18. Recedunt omnes e Choro, et unus ex Mansionariis incipit, et prosequitur cum populo consuetum Psalterium « Beatae Mariae Virginis (a), ut per eam misericordiam invenire in die judicii, et quae reposita sunt in iis, qui diligant Deum, bona consequi possimus gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul, et Sancto Spiritui Gloria, et Honor, et Imperium nunc, et semper in saecula, saeculorum. Amen ».

(a) S. Ioan. Chrysost. apud Metaph.



APPENDIX

COMPLECTENS OFFICIA SACRORUM MINISTRORUM

ARCHIEPISCOPO IN HEBDOMADA MAJORE

CELEBRANTI MINISTRANTIUM

Nunc primum Memoriali Rituum adjecta.



TITULUS I.

DE DOMINICA PALMARUM

CAP. I.

De Officio Presbyteri Assistentis.

§. I.

In benedictione Palmarum.

1. Quando Canonici accipiunt paramenta cum Archiepiscopo, accipit pluviale violacei coloris super rocheto et amictu, et mitram, si ea utatur, alias biretum, et remanet in suo stallo Chorali.
2. Postquam Diaconus manum Archiepiscopi osculaverit pro Evangelio, tunc et non

prius (1) vadit ad Archiepiscopum cum Thuriferario pro ministrando thure.

3. Ibi ad dexteram Archiepiscopi stans, accipit a Thuriferario naviculam, et cum osculis offert Archiepiscopo cochleare, et ministrato Thure similiter illud recipit cum osculis.
4. Dum cantatur Evangelium remanet in Sede Archiepiscopali stans versa facie ad Diaconum.
5. Dum Subdiaconus defert Archiepiscopo Evangeliarium osculandum, descendit e Sede, accipit thuribulum a Thuriferario, et Archiepiscopum thurificat triplici ductu; quo facto se recipit in proprio stallo inter Canonicos.
6. Incepta quinta Oratione: *Benedic, quaesumus Domine* etc. vadit iterum ad Archiepiscopum cum Thuriferario.
7. Absoluta dicta Oratione, ministrat Archiepiscopo naviculam, et cochleare cum osculis pro imponendo thure, ut supra.
8. Imposito thure accipit statim a Thuriferario Thuribulum cum sua manu dextera in summitate catenularum, et cum sinistra extremitatem inferiorem ipsarum, et sic Archiepiscopo praesentat, offerendo summitatem illius in sinistra Archiepiscopi, et cum sua sinistra inferiorem in dextera Archiepiscopi.

(1) *Caerem. Episc. Lib. II. cap. 16. num. 8., et cap. 21. num. 5.*

9. Thurificatis palmis accipit similiter cum osculis thuribulum, et reddens illud Thuriferario, descendit de Sede, facit reverentiam Archiepiscopo, et se recipit ad locum suum inter Canonicos.
10. In distributione Palmarum incedit inter Canonicos in loco suae receptionis, et cum osculo palmae, et manus ipsam recipit inclinatus, descendit, et vertens se per humerum dexterum, facit reverentiam Archiepiscopo, et ad locum suum in Choro.
11. Absoluta Palmarum distributione, accedit ad Archiepiscopum; cui ministrat mantile ad tergendas manus in ablutione, et non recedit, sed sustinet librum, dum Archiepiscopus cantat duas postremas Orationes.
12. Completa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus* ministrat cum osculis, ut supra, Archiepiscopo naviculam et cochleare pro imponendo thure; quo facto recedit inter Canonicos.
13. In Processione Palmarum incedit loco suo inter Canonicos accipiens mitram in egressu Presbyterii; et in regressu vadit in suo Stallo, deponens mitram in ingressu Presbyterii, et vadit ad suum stallum Chorale.
14. Si Archiepiscopus Missam solemnem non erit celebraturus hac die, deponit Pluviale, et amictum, et assumit cappam.

§. II.

In Missa Pontificali per Archiepiscopum celebranda.

1. Si Archiepiscopus Missam Solemnem erit hac die celebraturus, curabit tempestive totam Missam ac caeremonias praevidisse, et in Missali signacula disposuisse, ne forte aliquid memoria excidat, quod scandalo esse possit.
2. Intonato Psalmo Tertiae: *Legem pone*, accedit ad Archiepiscopum cum Ministris de Libro et bugia, et ibi remanet donec absolvantur Psalmi Tertiae, respondens cum Diaconis assistentibus alternatim cum Archiepiscopo Psalmos praeparationis legenti (1).
3. Dum Archiepiscopus cantat Orationem Tertiae, sustinet librum, et ea absoluta, dum lavat manus ministrat mantile ad eas tergendas; et deinde recedit ad locum suum inter Canonicos.
4. Induto Archiepiscopo usque ad Mitram inclusive, iterum ad Archiepiscopum pro annulo, quem ei imponit in digitum annularem dexterae manus cum osculis, et non discedit.
5. Dum Archiepiscopus incedit e Sede ad Altare, illum immediate praeit, et sistens se ante Altare in cornu Epistolae ad dex-

(1) *Caerem. Episc. lib. 1. cap. 7. num. 3.*

teram Archiepiscopi, respondet cum Diacono ad Confessionem et alia usque ad Orationem *Aufer a nobis* exclusive.

6. Ascendit Altare cum Archiepiscopo, et illud osculatur, et statim sustinet illi librum Evangeliorum osculandum a Subdiacono delatum, quem deinde tradit Ministro de Libro.

7. Descendit in plano, et sistens se ante cornu Epistolae stat donec thurificationem Altaris Archiepiscopus absolverit.

8. Redeunte Archiepiscopo ad Sedem, ipse eum praecedit, et vadit ad suum Scabellum a dexteris, ubi stans sustinet librum, ex quo cum suo digito indicabit in parte folii omnia legenda ab Archiepiscopo, et ei respondet ad *Kyrie* cum Diaconis assistentibus.

9. Sedente Archiepiscopo, sedet, et accipit mitram, vel biretum, et eo surgente, deponit mitram et surgit; quod praestabit quoties surgendum, vel sedendum erit.

10. Quando Archiepiscopus intonat et prosequitur Symbolum sustinebit librum, et una cum Diaconis assistentibus idem submissa voce recitabit.

11. Si Archiepiscopus concionem ad populum habebit sedens in propria Sede, ipse sedebit in Scabello suae assistentiae, si vero Archiepiscopus erit in Faldistorio ipse sedebit ad dexteram Archiepiscopi cum Diacono Evangelii a sinistris.

12. Si publicandae erunt indulgentiae, eas

pronuntiabit in forma ex schedula sibi a Caeremoniario oblata.

13. Si vero ipse Presbyter erit concionaturus, incensato Archiepiscopo post Evangelium, accedit ad osculum manus Archiepiscopi, et profunde inclinatus petit benedictionem, et sic paratus vadit ad ambonem, seu pulpitum, et sermonem habebit (1).

14. Post Offertorium ministrabit mantile ad lotionem manuum Archiepiscopi, quod servabit quoties opus erit in Missa.

15. Redeunte Archiepiscopo ad Altare, ipse a sinistris illum gradus Altaris ascendentem adjuvat, ibique ex libro indicabit omnia legenda.

16. Dum Archiepiscopus Oblata et Altare thurificabit, adjuvante Ministro de Libro sumit Missale cum pulvino, et se retrahit extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediat, qua absoluta reponit librum super Altare, ut prius.

17. Thurificato Archiepiscopo per Diaconum, descendit in plano, et vertens se ad Diaconum, recipit incensum, ante et post simplicem reverentiam faciendo, et statim ascendit Altare, et ad officium suum apud librum.

18. Quando Archiepiscopus elevat SS. Sa-

(1) *Caerem. Episc. lib. I. cap. 7. num. 4.* **Et tunc alius Canonicus cum pluviali substituetur in officio Presbyteri assistentis durante Concione.**

cramentum, ipse descendit per gradus Evangelii, et ibi in infimo gradu genuflectit.

19. Dicto *Agnus Dei* cum Archiepiscopo et Diacono, permutat locum cum Diacono, et vadit dexteram Archiepiscopi.

20. Dicta per Archiepiscopum Oratione: *Domine Jesu Christe, qui dixisti* etc. genuflectit, et statim surgens et Altare deosculans accipit pacem ab Archiepiscopo approximans sinistram genam suam cum sinistra Archiepiscopi, cui respondet; *Et cum spiritu tuo.*

21. Iterum genuflectit, surgit, et comitante Caeremoniario defert pacem ad Chorum, nulli, quamquam Supremo Principi, reverentiam faciens, et dat illam Digniori ab utroque latere Chori stanti, dicens *Pax tecum*, eo plane modo; quo ab Archiepiscopo accepit, et post datam pacem simplicem reverentiam cuique facit.

22. Si adesset Gubernator, vel Magistratus Loci, dat iis pacem cum instrumento, prius hoc osculando, post Canonicos paratos.

23. Redit ad Altare, ubi transfert librum a cornu Evangelii ad Epistolae, et adjuvat ad lotionem manuum Archiepiscopi, et redit ad librum.

24. Data benedictione ab Archiepiscopo, nisi Indulgentiae fuerint publicatae post Concionem, illas publicabit in forma, petita prius licentia ab Archiepiscopo.

*

25. Archiepiscopo ad Sedem redeunte ad se exuendum, ibit inter Canonicos ad se pariter exuendum.

CAP. II.

De Officio Diaconi Evangelii.

§. I.

In Benedictione Palmarum.

1. Dum in Choro recitatur Prima, in Secretario induit se amictu, Alba, et Stola violacei coloris, et deinde post Primam sic in Albis in Choro, imponens sibi Mitram, si ea utatur, alias biretum ratione paramentorum, et sic deinceps.
2. Ingrediens Presbyterium in supremo gradu deponit mitram, vel biretum, et facta reverentia Cruci Altaris, vadit ad suum Scabellum in cornu Epistolae, ubi sedet versa facie ad cornu Evangelii, et Archiepiscopum expectat, accepta Mitra.
3. Adveniente Archiepiscopo deponit Mitram, surgit, et ei reverentiam facit.
4. Postquam Archiepiscopus in Sede paululum quieverit, cum Subdiacono a sinistris, et sequentibus Acolythis paramenta deferentibus vadit ad Archiepiscopum, et ante infimum gradum Sedis ipsum reveretur, et statim ascendit ad locum suum a dextris Archiepiscopi.

5. Adjuvante Subdiacono, induit Archiepiscopum paramentis, videlicet: (cotta, si est ex Ordine Regulari assumptus), amictu, Alba, cingulo violaceo, Cruce pectorali, Stola et pluviali violacei coloris, pectorali, et Mitra simplici.
6. Recedit deinde, et ante infimum gradum Sedis facit reverentiam Archiepiscopo, et se recipit in proprio scabello, ubi accipit manipulum, et planetam plicatam.
7. Dicta ab Archiepiscopo Oratione: *Deus quem diligere* sedet imponens sibi mitram, vel biretum.
8. Dum Archiepiscopus incipit legere Evangelium: *Cum appropinquasset*, deponit mitram, surgit, et dimissa ibi planeta plicata, accipit Stolam latiorem, et Evangeliarium, quod cum debitis reverentiis defert ad Altare gravi et decoro incessu.
9. Facta super suppedaneo reverentia Cruci Altaris vadit ad Archiepiscopum pro osculo manus, et dein ad Altare, super cujus infimo gradu genuflexus dicit secreto: *Munda cor meum* etc.
10. Tum surgens resumit librum de Altari, descendit vertendo se per humerum dexterum, in plano facit profundam reverentiam Cruci cum suis Comministris, et denuo ad Archiepiscopum pro benedictione, incedens ultimo loco post illos.
11. Ante infimum gradum Sedis Archiepiscopalis inclinatus petit benedictionem dicens: *Jube Domne benedicere*, et accepta

benedictione erigens se, et iterum faciens reverentiam Archiepiscopo, simili modo vadit ad Ambonem, vel ad legile pro cantando Evangelio.

12. Ibi ponit librum apertum in manibus Subdiaconi, vel super legili, et manibus junctis cantat: *Dominus vobiscum*, et cum dicit: *Sequentia S. Evangelii* etc. pollice dexterae manus signat librum, et dein seipsum in fronte, ore et pectore.

13. Tum accipit Thuribulum de manu Thuriferarii, et librum thurificat in medio, dein in parte dextera, mox in sinistra libri, et reddito thuribulo Thuriferario, manibus junctis cantat Evangelium.

14. Absoluto cantu Evangelii transiens ante Altare facit reverentiam Cruci, et recedit ad suum scabellum, ubi resumit planetam plicatam, dimissis Stola latiori, et manipulo una cum Subdiacono, et ibi stabit detecto capite, durante benedictione.

15. Dum Archiepiscopus accipit a Digniore Capituli Palmam, vadit inter Canonicos in loco suae receptionis pro Palma ad Archiepiscopum, quam recipit cum osculo palmae et manus, et inde redit ad locum suum, ubi sedet accepta Mitra.

16. In Processione Palmarum facta reverentia Cruci Altaris, ibit ordine suo inter Canonicos, imponens sibi Mitram in egressu Presbyterii.

17. In regressu Processionis in supremo gradu Presbyterii deponit mitram, et ad lo-

cum suum stando, donec Archiepiscopus advenerit.

18. Si Archiepiscopus non erit hac die celebraturus, ipse deposita planeta cum debitis reverentiis accedit ad exuendum Archiepiscopum, et dein una cum Subdiacono vadit in Secretarium ad se exuendum sacris paramentis, et accipit consuetum habitum Choralem.

§. II.

In Missa Pontificali per Archiepiscopum celebranda.

1. Postquam Archiepiscopus ascenderit Sedem, deponit ad proprium Scabellum planetam plicatam una cum Subdiacono, et incepto Psalmo Tertiae. *Legem. pone.* etc. sedet cum mitra sic in albis.
2. Dum Archiepiscopus lavat manus ad signum Caeremoniarii accedit ad Sedem Archiepiscopalem cum Subdiacono, sequentibus Acolythis cum paramentis Missalibus.
3. Stans ad dexteram Archiepiscopi aufert ei mitram, et pluviale, et induit ipsum Tunicella, Dalmatica, Chirothecis, Planeta, Pallio, et Mitra auriphrygiata, adjuvante Subdiacono.
4. Induto Archiepiscopo redit ad suum scabellum, ubi accipit manipulum et planetam plicatam.

5. Dum Archiepiscopus descendit e Sede ipse transiens ad cornu Evangelii cum reverentia Cruci, ibi ante infimum gradum Altaris versa facie ad cornu Epistolae expectat Archiepiscopum.
6. Stans ad sinistram Archiepiscopi, aufert illi mitram, et ei respondet ad Confessionem et alia usque ad Orationem *Aufer* etc. exclusive.
7. Osculatu Altari cum Archiepiscopo, statim descendens suppedaneum transit ad cornu Epistolae per secundum gradum.
8. Ibi stans accipit naviculam a Thuriferario, et porrigens Archiepiscopo cochleare cum osculis, illam sustinet quousque Archiepiscopus thus imposuerit.
9. Imposito thure accipit similiter cum osculis cochleare, quod una cum navicula dat Thuriferario, vel Caeremoniario.
10. Accepto thuribulo a Thuriferario cum sua dextera manu in summitate catenularum, et cum sinistra in inferiori, illud Archiepiscopo praesentat, offerendo summitatem illius in sinistra Archiepiscopi, et inferiorem in ejus manu dextera, semper cum osculis.
11. Dum Archiepiscopus thurificat Altare, brachium ejus sustentat, vel fimbriam planetae elevat, durante thurificatione.
12. Thurificato Altari, recipit similiter cum osculis thuribulum, et vertendo se per humerum dexterum descendit in plano per gradus laterales cornu Epistolae.

13. Ibi ante infimum gradum stans thurificat triplici ductu Archiepiscopum, ante et post profunde se inclinans, quo facto reddit thuribulum Thuriferario.
14. Redeunte Archiepiscopo ad Sedem, ipse ibi remanet ad proprium scabellum a dexteris Subdiaconi.
15. Dicente Archiepiscopo *Kyrie*, cum Subdiacono idem dicet, et absoluta Oratione seu Collecta sedet accepta mitra, vel bireto.
16. Cum Subdiaconus in Epistola pronunciabit illa verba: *ut in nomine Jesu* genuflectit usque ad verba: *et infernorum*, et postea iterum sedet.
17. Accedente Archiepiscopo ad Altare, stabit ad sinistram Presbyteri assistentis in secundo gradu versa facie ad Cantores Passionis, Palmam sinistra manu gestans, quousque Passio absolvatur.
18. Absoluta Passione, dum Archiepiscopus legit in sua Sede eam partem Passionis, quae cantanda est in tono Evangelii, dimittit in proprio Scabello planetam plicatam, et accepta Stola latiori et Evangeliario, hoc defert ad Altare, servanda omnia quae supra dicta sunt hoc cap. §. 1. a num. 8 ad num. 13.
19. Post Evangelium recedit ad suum scabellum, et si habetur concio ab Archiepiscopo sedente in Faldistorio, sedebit a sinistris Archiepiscopi cum Presbytero assistente a dexteris.

20. Cum Chorus absolverit ℣. Symboli: *Et incarnatus est*, accedit ad abacum, et accepta bursa cum corporali, ipsam usque ad oculos elevatam ambabus manibus defert cum debitis reverentiis ad Altare.

21. Ibi extrahit corporale, quod explicat et extendit in medio Altaris collocans bursam a parte Evangelii; quo facto redit ad locum suum, et sedet.

22. Dum Archiepiscopus ascendit Altare, illum adjuvat a dexteris, et statim vadit ad cornu Epistolae, ubi accepta una ex duabus hostiis a Sacrista paratis, cum ipsa tangit alteram, et patenam et calicem intus et foris circumcirca, et statim dat illam praegustandam Sacristae, et idem facit cum vino et aqua.

23. Mox porrigit Archiepiscopo patenam cum altera hostia cum osculo patenae et manus.

24. Dein immittit in calicem, jam purificatorio abstersum, vinum, et post admixtas per Subdiaconum guttas aquae, offert illum Archiepiscopo cum osculis, quem cum eo tangit cum dicit: *Offerimus* usque ad finem.

25. Posito per Archiepiscopum calice super corporali, illum palla cooperit.

26. Accedente Thuriferario ministrat naviculam cum thure; ut alias, et deinde thuribulum cum osculis.

27. In thurificatione Oblatorum, cum sinistra removet dalmaticam, et cum dexte-

ra tenebit pedem calicis ne e loco suo removeatur, vel aliquid ex eo effluat; et quando Archiepiscopus Crucem Altaris thurificat, calicem e medio paululum removebit, et Cruce thurificata in loco suo reponet.

28. Thurificat Archiepiscopum eo plane modo quo dictum est supra num. 12. et 13. hujus §.

29. Thurificato Archiepiscopo celebrante, thurificabit ceteros de Clero hac methodo:
   1. Cardinalis S. R. E. thurificabitur ante alios triplici ductu.
   2. Archiepiscopus illius Provinciae, si Celebrans sit suffraganeus.
   3. Aliquis Episcopus praesens:
   4. Si aderit Nuntius Apostolicus Legatus de Latere, vel Visitator Apostolicus Episcopus, thurificabitur ante Archiepiscopum, vel si Nuntius non sit Legatus et Visitator non sit Episcopus, post Episcopum; et hoc in loco suae jurisdictionis; et triplici ductu:
   5. Protonotarii de numero Participantium, duplici, et sic deinceps:
   6. Nuntii Apostolici Praelati extra locum suae jurisdictionis (1):
   7. Presbyter et Diaconi assistentes:

(1) *Hi omnes a num. 1. ad 6. et a 10 ad 13, si aderint, sunt thurificandi, alias thurificantur Canonici parati tantum.*

8. Dignitates et Canonici secundum ordinem eorum:
9. Subdiaconus:
10. Abbates benedicti:
11. Protonotarii supernum erarii:
12. Generales ordinum:
13. Vicarius Generalis Episcopi pro consuetudine Ecclesiarum.

30. Quoad Laicos vero thurificatio fiet hoc ordine:
1. Imperator, aut Rex indistincte ante Archiepiscopum celebrantem triplici ductu:
2. Princeps magnus Dominus Loci non recognoscens Superiorem immediate post Celebrantem, etiam triplici ductu.
3. Proreges, et Gubernatores Regni, aut Provinciarum, post Episcopum; duplici ductu, et sic alios sequentes.
4. Magistratus Civitatis post Canonicos paratos.
5. Barones et Damicelli sine titulo post Magistratum Civitatis:
Hi omnes thurificantur ab iis, ad quos ex consuetudine id munus pertinet.

31. Peracta thurificatione dat thuribulum Caeremoniario, vel Thuriferario, a quo incensatur stans retro Archiepiscopum celebrantem infra suppedaneum.

32. Finita Prefatione vadit ad dexteram Archiepiscopi, et dicet: *Sanctus* etc. et statim redit ad locum suum.

33. Cum Archiepiscopus elevat hostiam ge-

nuflectit in suppedaneo ad ejus dexteram, et cum sua sinistra elevat posteriorem partem planetae.

34. Deposita hostia super corporali, surgit, detegit calicem, iterum genuflectit, et deposito calice, illum palla cooperit, et redit ad locum suum retro Archiepiscopum stando.

35. Quando Archiepiscopus profert ea verba: *benedicis et praestas nobis* etc. ascendit suppedaneum, et detegit calicem, et quoties id agit, toties genuflectit; et dicto: *omnis honor et gloria,* calicem cooperit, et vadit ad locum suum, ut prius.

36. Ad verba: *Et dimitte nobis,* Orationis Dominicae, ascendit ad cornu Epistolae, accipit patenam a Subdiacono allatam, quam purificatorio abstergit, et osculatam ponit in dextera Archiepiscopi cum dicit: *Libera nos* etc. post osculum manus.

37. Detegit calicem quando Archiepiscopus supponit patenam hostiae, ac posita particula denuo cooperit.

38. Dicto: *Pax Domini,* dicit: *Agnus Dei* cum Archiepiscopo, quo facto statim mutat locum cum Presbytero assistente, et supplet hujus vicem ad librum.

39. Data ab Archiepiscopo pace utrisque Diaconis assistentibus, accedit ad osculum pacis, et dicenti Archiepiscopo: *Pax tecum* respondet: *Et cum Spiritu tuo.*

40. In purificatione calicis infundit vinum, et in ablutione manuum imponit Archie-

piscopo mitram, mox eam aufert, et dein descendit ad abacum, ibi accipit planetam plicatam, dimissa stola latiori, et vadit ad locum suum retro Archiepiscopum.

41. Post Orationem dicto: *Dominus vobiscum* per Archiepiscopum, non se vertens, cantat; *Benedicamus Domino* in tono duplici.

42. Publicata Indulgentia per Presbyterum assistentem, nisi fuerit publicata post Concionem extrahit Archiepiscopo Pallium, quod super Altare deponit.

43. Redeunte Archiepiscopo ad Sedem, cum Subdiacono deponit ad proprium Scabellum planetam plicatam, et manipulum, et comitante Caeremoniario, vadit ad exuendum Archiepiscopum.

44. Exuto Archiepiscopo recedit ad proprium scabellum, et expectat Subdiaconum pro Sandaliis detrahendis.

45. Tandem redit ad Secretarium cum Subdiacono sic in albis ad se exuendum sacris vestibus.



CAP. III.

De Officio Subdiaconi.

§. I.

In Benedictione Palmarum.

1. Post Laudes, induit se in Secretario amictu et Alba, et post Primam sic in albis in Choro, cum Diacono a dexteris accipiens Mitram, vel biretum, in egressu Secretarii.
2. In supremo gradu Presbyterii deponit mitram, vel biretum, et ad suum scabellum in cornu Epistolae, et sedet, prout Diaconus, expectans Archiepiscopum.
3. Archiepiscopo Presbyterium ingrediente, surgit, et eum reveretur, deposita Mitra; dein accedit ad Sedem cum Diacono, ad induendum Archiepiscopum sacris paramentis.
4. Induto Archiepiscopo se recipit in proprio scabello; ubi accipit manipulum et planetam plicatam.
5. Post Collectam: *Deus, quem diligere* etc. deponit in proprio loco planetam plicatam, et ibidem accepto Epistolario vadit cum debitis reverentiis ad Altare in cornu Epistolae, et cantat Lectionem in tono Epistolae.
6. Completa Lectione deferens clausum Epistolarium pergit ad Sedem Archiepisco-

palem pro osculo manus, et reversus ad proprium scabellum resumit planetam plicatam, et sedet accepta mitra, vel bireto.

7. Quando Diaconus pro cantando Evangelio procedit ad Sedem pro benedictione, incedit immediate ante illum.

8. Si Evangelium cantatur in ambone, assistit Diacono, cui ministrat Thuribulum, et vertit folia libri, stando ad ejus dexteram; si vero apud Legile in cornu Evangelii locatum, versis renibus ad partem dexteram Altaris, quae pro Aquilone figuratur, tenet librum apertum ante pectus ambabus manibus, vel sustinet legile, manibus hinc inde librum tangendo.

9. Finito Evangelio, nulli reverentiam faciens, defert librum apertum Archiepiscopo ad osculandum in parte folii Evangelii cantati, et clauso libro, descendit in plano, et facta reverentia Archiepiscopo, revertitur ad locum suum, tradito libro Caeremoniario.

10. Statim apud suum Scabellum dimittit manipulum cum Diacono, et stabit detecto capite durante benedictione Palmarum.

11. In Palmarum distributione incedit loco suo inter Canonicos pro Palma ad Archiepiscopum, et illam recipit cum osculo palmae, et manus, et inde redit ad suum Scabellum, ubi sedet accepta mitra.

12. In Processione Palmarum ibit ordine suo inter Canonicos, accipiens mitram vel biretum in egressu Presbyterii.

13. Si Archiepiscopus non erit celebraturus, cum Diacono vadit ad eum exuendum, deposita prius in suo loco planeta plicata.
14. Exuto Archiepiscopo cum debitis reverentiis recedit in Secretarium ad semipariter exuendum.
15. Si vero Archiepiscopus Missam Pontificalem hac die erit celebraturus observabit quae sequuntur.

§. II.

In Missa Pontificali per Archiepiscopum celebranda.

1. Archiepiscopo ad Sedem accedente deponit in proprio loco cum Diacono planetam plicatam.
2. Incepto Psalmo Tertiae: *Legem pone*, ad signum Caeremoniarii accedit ad Abacum, et accepto velo humerali violaceo, defert cum comministris super lance argentea Sandalia ad Archiepiscopum.
3. Adjuvantibus scutiferis Archiepiscopi induit primo tibiam et pedem dexterum, mox sinistrum, quo facto referens calceamenta communia detracta, redit ad Abacum, et deposito ibi velo humerali, recedit ad suum Scabellum a sinistris Diaconi Evangelii, ubi sedet sic in Albis.
4. Absolutis Psalmis Tertiae, et repetita per Chorum Antiphona, procedit ante

cornu Epistolae Altaris, in loco ubi cantatur Epistola, et cantabit Capitulum Tertiae : *Fratres, hoc enim*, quo facto redit ad locum suum.

5. Dum Archiepiscopus lavat manus, accedit cum Diacono ad Sedem Archiepiscopalem, et adjuvat Diaconum dum aufert mitram et pluviale, et induit Archiepiscopum paramentis Missalibus.
6. Induto Archiepiscopo usque ad Mitram inclusive recedit cum Diacono ad suum scabellum, ubi accipit manipulum, et planetam plicatam.
7. Dum Archiepiscopus incipit apud Altare Missam, stans parum retro Diaconum respondet cum eo ad Confessionem; et dicto per Archiepiscopum ℣. *Indulgentiam*, accipit ex libro manipulum, et cum osculis illud imponit sinistro brachio Archiepiscopi.
8. Imposito manipulo, statim accipit a Caeremoniario librum, et illum apertum in folio Missae currentis osculandum Archiepiscopo praesentat, relinquens eum in manibus Presbyteri assistentis.
9. Stans infra suppedaneum versus cornu Evangelii a sinistris Archiepiscopi, elevat planetam in thurificatione Altaris.
10. Tradito ab Archiepiscopo thuribulo in manibus Diaconi, statim nulla interposita mora vadit a sinistris Diaconi, dum thurificat Archiepiscopum.
11. Archiepiscopo ad Sedem redeunte, ac-

cedit ad suum Scabellum a sinistris Diaconi, et cum Archiepiscopus dicit: *Kyrie*, eadem dicit cum Diacono, et quando sedendum est, sedet cum eodem.

12. Responso per Chorum *Amen* post Collectam, deponit ibi planetam plicatam, et accepto Epistolario vadit cum debitis reverentiis ad Altare, et in loco consueto cantat Epistolam, et ad ea verba: *Ut in nomine Jesu* etc. genuflectit usque ad ea: *et infernorum.*

13. Cantata Epistola, accedit ad Archiepiscopum, cui profunde inclinatus ponit super illius genibus librum, et osculata manu Archiepiscopi redit ad suum scabellum, tradito libro Caeremoniario, et resumit planetam plicatam.

14. Dum Archiepiscopus apud Altare legit Passionem, ante infimum gradum stabit versa facie ad Cantores Passionis, Palmam sinistra manu tenens, quousque Passio absolvatur.

15. Absoluta passione, recedit ad suum scabellum, et dum Diaconus procedit ad benedictionem et ad Evangelium, servabit omnia quae dicta sunt supra §. 1. hujus cap. a num. 7. num. ad 9. inclusive, et dum cantatur Symbolum sedet, sedente Archiepiscopo.

16. Archiepiscopo ad Altare redeunte, accedit ad abacum, et extenso per Acolythos circa ejus humeros velo serico, accipit cum sinistra calicem cum patena et

hostiis, et illum longiori parte veli cum dextera coopertum defert ad Altare per latus Epistolae.

17. Tradito Calice Diacono Evangelii, remoto velo, tradit eidem ampullam vini a ministro delatam; et mox ampullam aquae Archiepiscopo ostendit, dicens plane: *Benedicite, Reverendissime Pater* (1), et ea benedicta, infundit in calicem paucas guttas aquae.

18. Facta oblatione calicis accipit de manu Diaconi Patenam, quam extremitate veli humeralis cooperit, et sic vadit retro Archiepiscopum ante infimum gradum Altaris, sustinens illam elevatam usque ad oculos.

19. In elevatione SS. Sacramenti genuflectit super infimo gradu, et deposito calice iterum stat in suo loco, ut prius.

20. Cum Archiepiscopus pervenerit ad verba: *Et dimitte nobis*, Orationis Dominicae, facta genuflexione vadit super suppedaneum in cornu Epistolae; et tradit patenam Diacono, et deposito velo redit ad locum suum.

21. Data ab Archiepiscopo pace Diacono Evangelii, accedit ad osculum pacis, et genuflectens super suppedaneo, et Altare deosculans, dicenti Archiepiscopo: *Pax tecum*, respondet: *Et cum spiritu tuo.*

(1) *Si Celebrans sit S. R. E. Cardinalis praeponit titulum:* Eminentissime *etc.*

22. Ibi ad dexteram Archiepiscopi stans supplet vicem Diaconi discooperiendo calicem, et alia opportuna faciendo donec Archiepiscopus Communionem sumpserit.
23. Statim infundit vinum in Calicem pro purificatione, et mox transit ad cornu Evangelii, uti extergit calicem, plicat corporale, et omnia cum debitis reverentiis defert ad Abacum.
24. Redit ad locum suum retro Archiepiscopum, ubi stat usque ad finem Missae.
25. Redeunte Archiepiscopo ad Sedem, ad proprium Scabellum deponit cum Diacono planetam plicatam, et manipulum, et vadit ad exuendum Archiepiscopum.
26. Exuto Archiepiscopo accedit ad Abacum, et cum velo humerali violaceo super Alba accipit super lance argentea calceamenta Archiepiscopi, quae cooperit, et vadit comitantibus solitis comministris ad detrahenda Sandalia.
27. Detractis Sandaliis redit ad abacum, in quo ea deponit, et cum Diacono sic in albis, recedit in Secretarium ad se exuendum sacris vestibus.



TITULUS II.

DE FERIA V. IN COENA DOMINI

—

CAP. I.

De Officio Presbyteri Assistentis.

1. Quando Canonici accipiunt paramenta albi coloris, et Archiepiscopus paramenta Missalia post Nonam, sumit pluviale, et mitram in proprio loco, et induto Archiepiscopo vadit ad Sedem, et ministrat incensum, ut alias.
2. Archiepiscopo e Secretario ad Altare majus procedente, ibit a dexteris Diaconi Evangelii, immediate post Subdiaconum, imponens sibi mitram, vel biretum in egressu Secretarii.
3. In accessu ad Altare, et ad alia in Missa Pontificali hujus diei servabit omnia supra descripta Tit. I. Cap. I. §. 2. per totum.
4. Si ipse Presbyter assistens alicubi non sit Archidiaconus, quando Archiepiscopus procedit ex Altari ad mensam pro benedictione sacrorum Oleorum, recedit ad suum Stallum Chorale durante benedictione.
5. Si vero ipse Presbyter sit Archidiaco-

nus, procedit et ipse ad dictam mensam immediate ante Archiepiscopum, et accedit ad suum scabellum a dextris Archiepiscopi.

6. Sedentibus omnibus, stans dicit alta voce in tono lectionis: *Oleum infirmorum*, et sedet.

7. Delata per Subdiaconum Ampulla Olei Infirmorum, eam accipit, et praesentat Archiepiscopo plane dicens: *Oleum infirmorum*, et collocat in mensa coram eo super base marmorea, et sedet.

8. Peracta benedictione Olei infirmorum, reddit ampullam Subdiacono praedicto, et in lotione manuum ministrat Archiepiscopo mantile ad eas tergendas, et statim accedit ad Altare praeeundo Archiepiscopum, et ad officium suum, ut alias.

9. Quando Archiepiscopus communicat Clerum, ibit ad accipiendam Communionem ordine suo inter Canonicos paratos, et recepta SS. Synaxi vadit ad cornu Epistolae pro sumenda purificatione, et statim ad suum stallum Chorale, durante Communione.

10. Finita Communione accedit ad Altare, et ministrat mantile in lotione manuum, et ad officium suum.

11. Lotis manibus denuo accedit ad mensam pro confectione et benedictione Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum, servando omnia dicta a num. 5. ad 8. inclusive hujus cap. hoc excepto, quod dicit eodem

tono: *Oleum ad Sanctum Chrisma*, et: *Oleum Catechumenorum*, et ministrat naviculam pro imponendo thure more solito.

12. Post Benedictionem Solemnem non publicabit Indulgentias.

13. Absoluta Missa redit ad suum Stallum Chorale, et acceptis per Archiepiscopum Pluviali et Mitra, accedit ad Sedem cum duobus Thuriferariis, et ministrat naviculam sine osculis, quo facto iterum ad suum stallum Chorale.

14. In Processione SS. Sacramenti ad Sacellum ibit loco suo inter Canonicos.

15. Reposito Sacramento in loculo, sive Capsula, accedit ad Archiepiscopum, et ministrat naviculam sine osculis pro thure, et thuribulum, quo facto recedit inter Canonicos.

16. Data per Archiepiscopum Benedictione solemni publicabit Indulgentias.

17. In regressu Processionis incedit inter Canonicos, et deinde se exuit sacris paramentis quando Canonici deponunt sua.

CAP. II.

De Officio Diaconi Evangelii.

1. Circa finem Nonae in aula paramentorum induit amictum, albam, stolam, et Dalmaticam albi coloris cum Subdiacono, et absoluta Oratione: *Respice*, procedit

in Secretarium ad proprium Scabellum apud Altare.

2. Dum Archiepiscopus lavat manus vadit ad induendum Archiepiscopum, uti supra dictum est tit. I. cap. 2. §. 1. a n. 4. ad 6. et §. 2. num. 2. et 3.

3. Parato Archiepiscopo redit ad suum scabellum, et accipit manipulum cum Subdiacono.

4. In accessu ad Altare ibit immediate post Subdiaconum a sinistris Presbyteri assistentis.

5. In Missa servabit omnia dicta tit. 1. cap. 2. §. 2. a num. 5. usque ad finem, exceptis quae sequuntur.

6. In benedictione Sacrorum Oleorum stabit ad latus dexterum Altaris, super secundo gradu, Sacramentum custodiens.

7. Sumpto Sanguine per Archiepiscopum cooperit Calicem Missae, et collocat aliquantulum versus cornu Epistolae.

8. Mox genuflectit, surgit, et accepto altero Calice, hunc sustinet detectum pro reponenda Hostia, qua reposita ab Archiepiscopo eum collocat in medio corporalis super Altari, et cooperit palla et patena inversa, ac velum desuper expandit, et genuflectit cum Archiepiscopo et Subdiacono.

9. Statim surgit accipit Pyxidem, quae erat post Calicem, et eam ponit ante illum, et discooperit.

10. Tum paululum se retrahens, iterum su-

per primo gradu, seu suppedaneo, genuflectit cum Subdiacono a sinistris, ut communicet, osculando prius manum Archiepiscopi, sed non faciem.

11. Sumpta Communione surgit; et vadit cum Subdiacono ad cornu Epistolae in plano pro sumenda purificatione.

12. Sumpta purificatione; ibi in plano in eodem cornu Epistolae stans versa facie ad Archiepiscopum cantat Confessionem consuetam, omnibus communicandis in suis locis genuflexis.

13. Dicto per Archiepiscopum: *Indulgentiam* etc. per breviorem transit ad cornu Evangelii ad sinistram Archiepiscopi, et genuflectit.

14. Surgit, accipit Pyxidem patena coopertam, et per humerum dexterum vertit se ad communicandos, remanens ibi ad dexteram Archiepiscopi, sustinens Pyxidem in actuali distributione Sacramenti.

15. Absoluta Communione remanet apud Altare, Sacramentum custodiens, dum conficitur Chrisma, et benedicitur Oleum Sanctum.

16. Cantata Postcommunione ab Archiepiscopo post: *Dominus vobiscum*, cantat: *Ite Missa est* non se vertens ad populum, sed facie versa ad cornu Epistolae, si altare non sit ad Orientem.

17. Finita Missa remanet ad proprium scabellum, ubi deponit manipulum.

18. Ad signum Caeremoniarii vadit cum

Subdiacono ad exuendum Archiepiscopum usque ad stolam exclusive, et induit illum pluviali, pectorali, et mitra.

19. Mox recedit cum Subdiacono in Secretarium pro deponendis albis, et sumenda Dalmatica super Rocheto sicut ceteri Canonicorum, et statim in Choro inter Canonicos.

20. Dum in Choro dicuntur Vesperae, induit se in aula paramentorum amictu, alba, stola, et Dalmatica coloris albi, excepto manipulo, una cum Subdiacono.

21. Quando tempus erit, ducente Caeremoniario, et praecedentibus Acolythis vadit cum Subdiacono ad proprium Scabellum in loco designato pro faciendo Mandato; et sedet expectans Archiepiscopum.

22. Postquam Archiepiscopus dimiserit cappam, accedit ad Sedem cum Subdiacono, et induit Archiepiscopum (cotta, si sit ex ordine Regulari assumptus) amictu, alba, cingulo violaceo, Cruce pectorali, stola, pluviali violacei coloris, pectorali, et Mitra simplici.

23. Induto Archiepiscopo redit ad suum scabellum, ubi accipit manipulum, et dein iterum ad Archiepiscopum pro osculo manus.

24. Tum accipit Evangeliarium, et cum suis comministris genuflectit ante Crucem Archiepiscopalem in medio areae, et dicit: *Munda cor meum* etc.

25. Deinde pari modo accedit ad Archiepi-

scopum pro benedictione, quam recipit inclinatus.

26. Procedit ad cantandum Evangelium in legili a dextris Crucis locato, et cantato Evangelio thurificat Archiepiscopum triplici ductu.

27. Mox recedit ad proprium scabellum, ubi deponit manipulum, et sedet durante lotione.

28. Facto ab Archiepiscopo signo Crucis versus omnes existentes in loco peracti mandati, accedit ad Sedem cum Subdiacono ad exuendum Archiepiscopum, et deinde comitantibus Aeolythis vadit ad aulam paramentorum ad se exuendum.

CAP. III.

De Officio Subdiaconi.

1. Circa finem Nonae, prout de Diacono dictum est, induit se in Aula paramentorum amictu, alba, et Tunicella albi coloris; et dicta Oratione: *Respice*, procedit ad Secretarium ad suum Scabellum apud Altare.

2. Ad signum Caeremoniarii vadit ad Sedem cum Diacono ad induendum Archiepiscopum, uti dictum est supra, de Diacono, et parato Archiepiscopo redit ad suum Scabellum, et accipit manipulum.

3. In accessu ad Altare procedit solus post Canonicos paratos deferens librum clau-

sum ante pectus cum manipulo Archiepiscopi incluso, accepta mitra vel bireto.

4. Ingressus Presbyterium tradit librum Caeremoniario, deponit mitram, vel biretum, et incedit apud Altare.

5. In Missa servabit omnia dicta tit. I. cap. 3. §. 2. a num. 7. ad 23. exceptis sequentibus.

6. Post Offertorium non sustinet patenam retro Archiepiscopum usque ad Orationem Dominicam.

7. In thurificatione Oblatorum elevat cum Diacono planetam, et ad elevationem incensat SS. Sacramentum, genuflexus super infimo gradu lateris Epistolae.

8. In benedictione Sacrorum Oleorum stat ad sinistram Altaris Sacramentum custodiens.

9. Dum Archiepiscopus in cornu Epistolae abluit digitos antequàm dicat: *Per quem haec omnia* etc. ministrat ampullam aquae super calicem vacuum, tum adjuvat Diaconum Mitram auriphrygiatam Archiepiscopo imponentem in secundo gradu Altaris.

10. In communione, quando Diaconus discooperit Pyxidem, paululum cum eodem se retrahens genuflectit super suppedaneo, et accipit Sacram Communionem osculando manum Archiepiscopi, sed non faciem.

11. Mox surgit, et cum Diacono vadit in plano Epistolae pro sumenda purificatione.

12. Sumpta purificatione transit ad cornu Evangelii post Archiepiscopum, ibique stat donec Archiepiscopus dicat: *Indulgentiam* etc. post Confessionem.

13. Dicto ℣. *Indulgentiam*, per breviorem ascendit ad cornu Epistolae ad dexteram Archiepiscopi, et accepta Pyxide a Diacono, vertit se per humerum sinistrum versus communicandos.

14. Statim amovet patenam a Pyxide, quam supponit manui Archiepiscopi in actuali distributione Sacramenti; dein infundit calicem vinum pro purificatione Archiepiscopi.

15. Finita Missa remanet ad suum Scabellum, ubi deponit manipulum.

16. Dein vadit cum Diacono ad exuendum Archiepiscopum usque ad stolam exclusive, et adjuvat Diaconum dum imponit pluviale, pectorale, et mitram.

17. Mox recedit in Secretarium, ubi deposita alba resumit Tunicellam super Rocheto, et statim in Choro inter Canonicos.

18. Dum recitantur Vesperae in Choro, induit in Aula paramentorum amictum, albam et Tunicellam coloris albi, absque manipulo.

19. Ad signum Caeremoniarii, eo ducente vadit cum Diacono ad locum designatum pro Mandato, et ad suum Scabellum, in quo sedet expectans Archiepiscopum.

20. Dein cum Diacono accedit ad Sedem ad induendum Archiepiscopum, adjuvando Diaconum.

21. Induto Archiepiscopo usque ad Mitram, recedit ad suum Scabellum, ubi accipit manipulum.

22. Procedit deinde cum Diacono ad *Munda cor meum*, ad benedictionem, et ad Evangelium, et a tergo legilis Librum ambabus manibus retinet.

23. Cantato Evangelio nulli reverentiam faciens defert Archiepiscopo librum apertum osculandum, quem postea tradit Caeremoniario.

20. Vadit inde ad proprium Scabellum, deponit manipulum, et sedet durante lotione, accepta Mitra vel bireto.

25. Peracto Mandato iterum ad Sedem ad exuendum Archiepiscopum cum Diacono, quo facto recedit in Secretarium ad se pariter exuendum.



TITULUS III.

DE FERIA VI. IN PARASCEVE

CAP. I.

De Officio Presbyteri Assistentis.

1. Quando Canonici accipiunt paramenta, Presbyter, qui hac die erit digniori proximus, accipit pluviale nigri coloris, et dum Archiepiscopus deponit cappam, accedit ad Sedem, et ministrat mantile ad tergendas manus Archiepiscopi, quo facto recedit inter Canonicos.
2. Induto Archiepiscopo iterum ad Sedem cum Diaconis assistentibus.
3. In accessu ad Altare ibit immediate post Subdiaconum, a dextris Diaconi, accipiens mitram vel biretum in egressu Secretarii, prius genuflectendo Cruci Altaris.
4. Ingressus Presbyterium dimittit mitram vel biretum, genuflectit Cruci, et vadit apud Altare.
5. Statim procumbit super pulvino a dextris Archiepiscopi, et orat prolixe cum ceteris.
6. Surgente Archiepiscopo, surgit, et ascendens secundum gradum Altaris inclinat se Archiepiscopo jam sedenti in faldistorio, dein genuflectit Cruci, et vertendo

se per humerum dexterum sedet cum aliis Comministris in suppedaneo, prope, et ad pedes Archiepiscopi; *(quod servabit quoties sedendum erit)*.

7. Dum cantatur Tractus: *Domine audivi* etc, deponit mitram, vel biretum, et vertens se per humerum dexterum versus Altare, genuflectit Cruci, et Archiepiscopo inclinat *(quod servabit quoties surgendum erit)*, et sic versus ad Altare remanet, donec Archiepiscopus legerit Prophetiam et Tractum.

8. Finito Tractu, per secundum gradum vadit ad latus cornu Epistolae, et assistit ad librum cum Ministro de bugia, indicando Orationem cantandam ab Archiepiscopo, et quando Diaconus dicit: *Flectamus genua*, genuflectit cum aliis, et surgit ad: *Levate*.

9. Responso: *Amen*, per Chorum iterum sedet cum aliis in suppedaneo, ut num. 6.

10. Cantata per Subdiaconum Prophetia in tono Epistolae, surgit cum ceteris, ut num. 7.; et Archiepiscopo legenti Passionem assistit ad librum cum Ministro de bugia.

11. Finita Passione per Cantores, vadit ad locum suum in secundo gradu, stando versus ad Altare; et, dum Diaconus cantat postremam partem Passionis in tono Evangelii, se recipit in plano Epistolae cum Diaconis assistentibus versus ad Diaconum.

12. Archiepiscopo sedente, dum habetur Concio (*si sit habenda*) sedet in loco suo in secundo gradu super suppedaneo, ut alias.

13. Si vero Concio non sit habenda, finita per Diaconum ea parte Passionis, ascendit in secundo gradu ad cornu Epistolae, et assistit ad Librum dum dicuntur ab Archiepiscopo Monitiones et Orationes, genuflectendo ad: *Flectamus genua.*

14. Dum Archiepiscopus descendit ad angulum posteriorem Epistolae, accepto Missali descendit in infimum gradum ejusdem posterioris cornu, renibus ad populum versis, et ministrat librum dum ab Archiepiscopo cantatur: *Ecce lignum Crucis*, et sic secunda, et tertia vice.

15. Quando Archiepiscopus defert Crucem ad locum paratum pro adoratione, cum ceteris Comministris se recipit in plano Epistolae.

16. Archiepiscopo deponente calceamenta, prope Abacum deponit sua, et dein ordine suo inter Canonicos paratos vadit ad Adorationem, ter genuflectendo, et orando.

17. Reversus in Presbyterium post adorationem, accipit calceamenta, et cum aliis Comministris vadit ad Archiepiscopum in secundo gradu more solito stando.

18. Lectis ab Archiepiscopo Improperiis, sedet cum aliis in suppedaneo accepta Mitra, vel bireto.

19. Completa adoratione surgit, et stat apud Archiepiscopum, et adveniente Cruce, genuflectit, et dein ministrat mantile in lotione manuum Archiepiscopo, et deinde naviculam pro imponendo thure, sine osculis.
20. In Processione ad Sacellum incedit loco suo inter Canonicos paratos, et in discedendo genuflectit Cruci aperto capite.
21. Postquam Archiepiscopus in Sacello oraverit, accedit ad eum cum duobus Thuriferariis, et ministrat naviculam pro thure sine osculis, et similiter thuribulum, quo facto recedit inter Canonicos.
22. Reversis omnibus ad Altare Majus cum SS. Sacramento, et genuflexis in suis gyris, deponit cereum, et se retrahit ante Altare in cornu Epistolae.
23. Reposito SS. Sacramento super Altari accedit ad Archiepiscopum in secundo gradu stantem, et ministrat sine osculis naviculam pro imponendo thure, et deinde thuribulum.
24. Incensato Sacramento transit per breviorem ad cornu Evangelii ad sinistram Archiepiscopi apud Librum.
25. Postquam Diaconus Calicem palla cooperuerit, transit ad dexteram Archiepiscopi et iterum ministrat naviculam, et thuribulum sine osculis, genuflectendo durante thurificatione Sacramenti tantum, et mox descendit in plano ad cornu Epistolae.

26. Dum Archiepiscopus lavat manus vadit cum debita genuflexione apud Librum, et stabit ibi usque ad finem Officii.
27. Finito Officio, quando Archiepiscopus accedit ad Sedem ad se exuendum, recedit ad locum suum inter Canonicos, et deponit cum aliis pluviale, et assumit cappam pro Vesperis.

CAP. II.

De Officio Diaconi Evangelii.

1. Dum in Secretario recitatur Nona, in aula paramentorum induit se amictu, alba, et stola nigri coloris, et completa Oratione: *Respice*, intrat sic in albis cum Subdiacono Secretarium, et vadit apud Altare ad locum suum.
2. Lotis manibus ab Archiepiscopo, accedit ad Sedem ad eum induendum, exceptis chirothecis, pallio, et pastorali, imponendo tamen manipulum post cingulum.
3. Induto Archiepiscopo recedit ad proprium scabellum, ubi accipit manipulum, et planetam plicatam.
4. In recessu e Secretario procedit post Subdiaconum, a sinistris Presbyteri assistentis, genuflectendo Cruci Altaris.
5. Ingressus Presbyterium deponit mitram, vel biretum, genuflectit Cruci, et accedit apud Altare.

6. Procumbit super pulvino a sinistris Archiepiscopi, et orat prolixe.
7. Surgente Archiepiscopo, surgit, et super Altari Archiepiscopo sedenti imponit mitram, et gremiale, quo facto stans in secundo gradu, Archiepiscopo se inclinat, postea genuflectit Cruci, et vertendo se per humerum dexterum sedet in Suppedaneo post Presbyterum, et imponit sibi mitram, vel biretum, et sic deinceps.
8. Dum Chorus cantat Tractum: *Domine audivi* etc. aperto capite surgit, et vertens se per humerum dexterum genuflectit Cruci, et Archiepiscopo inclinat, et sic versus ad Altare remanet.
9. Mox surgenti Archiepiscopo aufert gremiale et mitram, et stat retro Archiepiscopum, et dicto: *Oremus*, cantat: *Flectamus genua*, genuflectit, et statim surgit ad: *Levate*.
10. Sedente Archiepiscopo post Orationem, sedet more solito super suppedaneo, impositis prius gremiali et Mitra Archiepiscopo.
11. Completa per Subdiaconum Prophetia surgit, et vertit se ad Altare, ut num. 8.
12. Archiepiscopo surgenti ad legendam Passionem aufert gremiale et mitram, et vadit cum Subdiacono et Diaconis assistentibus ad planum Epistolae stando ibi versa facie ad Cantores Passionis.
13. Finita Passione, dum Archiepiscopus sedens legit postremam partem Passionis:

Post haec, etc. accedit ad Abacum, ubi deposita planeta plicata, et acceptis stola latiori et libro redit ad Altare.

14. Ibi facta in plano genuflexione Cruci, et reverentia Archiepiscopo, ascendens ponit librum super Altare; tum descendens in secundum gradum vertendo se per humerum dexterum, genuflectit super suppedaneo et dicit: *Munda cor meum.*

15. Surgit, accipit librum, et absque benedictione et osculo manus descendit in planum, ubi cum suis comministris facit debitas reverentias Cruci et Archiepiscopo, et vadit ad ambonem, vel apud Legile, ad cantandam in tono Evangéli ultimam partem Passionis.

16. Qua finita, et relicto libro ibi in legili, cum debitis reverentiis in plano, vadit in secundo gradu, stans.

17. Si sit habendus Sermo, sedet, sedente Archiepiscopo, cui imponit gremiale, et Mitram.

18. Si Sermo non sit habendus, stat in secundo gradu retro Archiepiscopum, et ad singulas Orationes, octava excepta, cantat: *Flectamus genua*, et genuflectit, dein surgit ad: *Levate.*

19. Completis Orationibus, dum Archiepiscopus descendit ad angulum posteriorem Epistolae, accedit ad medium Altaris, factaque ibi genuflexione, accipit de manu Sacristae Crucem ejusdem Altaris coopertam velo solutili.

20. Tum tradit Crucem Archiepiscopo, et remanet ad dexteram ejusdem, et dicto per Archiepiscopum: *Ecce lignum Crucis*, prosequitur cum ceteris Ministris: *In quo salus mundi pependit*, et sic secunda, et tertia vice, semper ad dexteram Archiepiscopi stans.

21. Quando Archiepiscopus defert Crucem denudatam ad locum paratum pro Adoratione, se recipit in plano Epistolae cum Presbytero, et Subdiacono rectam faciens lineam.

22. Archiepiscopo ad Altare reverso, accedit cum aliis ad gradus anteriores Altaris in plano, et statim ascendens imponit mitram eidem, quam dein, depositis calceamentis ab Archiepiscopo, aufert cum planeta.

23. Reverso Archiepiscopo ab Adoratione, accedit ad eum, et imponit planetam, mitram, et gremiale, et statim recedit ad abacum pro dimissione suorum calceorum, et vadit in loco suo inter Canonicos pro Adoratione, dimisso manipulo (1) et retenta stola latiori.

24. Peracta Adoratione redit ad abacum apud Altare, accipit calceos et manipulum et statim accedit ad Archiepiscopum in secundo gradu stando.

25. Ibi alternatim respondet cum Subdiacono Archiepiscopo improperia recitanti,

(1) *S. R. C. 15. Septemb. 1736. Toletan.*

quibus finitis sedet in suppedaneo cum aliis Ministris, accepta mitra, vel bireto.

26. Circa finem Adorationis, surgit: et cum debita reverentia Archiepiscopo descendit in plano, et vadit ad cornu Evangelii, ad explicandam tobaleam versus frontem Altaris, cum Subdiacono a cornu Epistolae.

27. Tum accedit ad Abacum, et accipiens bursam cum corporali incluso, et cum purificatorio super eam, portat de more eam elevatam ad Altare.

28. Extrahit ex ea corporale, et explicat, et ponit purificatorium prope illud in parte Epistolae, quo facto cum debitis reverentiis redit ad locum suum.

29. Finita Adoratione, Caeremoniario comitante, vadit ad accipiendam Crucem, et facta prius genuflexione, accipit illam, et ambabus manibus elevatam usque ad oculos ascendens gradus Presbyterii versus cornu Epistolae eam defert ad Altare gravi incessu, nulli reverentiam faciens.

30. Statim, adjuvante Sacrista, reponit Crucem ad locum suum, et sedet, sedentibus omnibus.

31. In Processione ad Sacellum incedit loco suo inter Canonicos, et sic in recessu, gestans cereum.

32. Archiepiscopo Altare majus ascendente, genuflexus in suppedaneo devote accipit de ejus manibus Calicem cum Sa-

cra Hostia, tum surgit, et eum collocat super corporali, solvendo vittam appositam, et extendendo velum.

33. Dum Archiepiscopus Sacramentum incensat, elevat planetam cum Subdiacono, et ascendens suppedaneum genuflectit, surgit, et amovet velum a Calice, deinde patenam, quam invertens ponit super corporale, versus cornu Epistolae, et mox pallam.

34. Statim resumens ambabus manibus patenam, tenet eam elevatam ante Archiepiscopum, qui deponit super ea Hostiam ex Calice, et tradit Archiepiscopo, sine osculis.

35. Successive, facta consueta praegustatione, ponit vinum in Calicem, quem non abstergit nec ante, nec post ut alias, et Archiepiscopo praesentat, et illum palla cooperit.

36. Tum genuflectit, et retrahit se in secundo gradu stans ad dexteram.

37. Imposito thure, ascendit suppedaneum, genuflectit, surgit, et cum sua manu dextera tenet pedem calicis, ne decidat in thurificatione, et sinistra elevat planetam cum Subdiacono.

38. Incensato Altari, accipit thuribulum de manu Archiepiscopi, quod tradit thuriferario, et sistit e regione Archiepiscopi dum lavat manus.

39. Lotis manibus, vadit ad dexteram Archiepiscopi in suppedaneo, et genuflectit,

surgit, et dum Archiepiscopus incipit: *Pater noster*, facta genuflexione, retrahit se post Archiepiscopum, et ibi remanet usque ad elevationem.

40. Responso per Chorum: *Amen*, post Orationem: *Libera nos*, genuflectit in suppedaneo pro elevatione a dexteris Archiepiscopi.

41. Archiepiscopo Hostiam jam elevatam declinante, surgit, discooperit calicem, et immissa per Archiepiscopum particula, cooperit, genuflectit, et surgit.

42. Post sumptionem Sacrae Hostiae ad nutum Archiepiscopi, discooperit calicem, et genuflectit cum eo, surgit, et post sumptionem particulae cum vino, accepta ampulla a Caeremoniario, infundit in calicem vinum pro purificatione.

43. Absoluto Officio, vadit cum Subdiacono ad abacum, ubi deponit Stolam latiorem, et manipulum.

44. Deinde ad signum Caeremoniarii, accedit ad Sedem ad exuendum Archiepiscopum, quo exuto sic in Albis recedit cum Subdiacono, ad se pariter exuendum sacris vestibus, in Secretarium.



CAP. III.

De Officio Subdiaconi.

1. Dum recitatur Nona in Secretario, induit, prout de Diacono dictum est, in Aula paramentorum amictum et albam, et dicta Oratione: *Respice*, intrat sic in Albis Secretarium cum Diacono a dextris, et accedit ad suum Scabellum apud Altare.
2. Postquam Archiepiscopus laverit manus, vadit ad Sedem ad eum induendum Sacris paramentis cum manipulo post cingulum, exceptis Sandaliis, chirothecis, pallio, et pastorali.
3. Dein recedit ad proprium Scabellum, ubi accipit manipulum et planetam plicatam nigri coloris.
4. In recessu e Secretario procedit post Canonicos paratos solus, sine libro, et junctis manibus, accepta mitra, vel bireto.
5. Ingrediens Presbyterium deponit mitram, vel biretum, genuflectit Cruci, et vadit apud Altare.
6. Ibi procumbit super pulvino a sinistris Diaconi Evangelii modicum retro, et orat prolixe cum ceteris.
7. Surgente Archiepiscopo, surgit, et eo sedente in faldistorio, ascendit in secundo gradu Altaris, facit reverentiam Archiepiscopo, dein genuflectit Cruci, et vertendo se per humerum dexterum se-

det in suppedaneo post Diaconum, scilicet a dextris ejus, et imponit sibi mitram, vel biretum *(quod servabit quoties sedendum erit)*.

8. Dum Chorus cantat Tractum: *Domine audivi*, aperto capite surgit, et vertens se per humerum dexterum versus Altare genuflectit Cruci, dein Archiepiscopo se inclinat, et remanet versus Altare *(quod servabit quoties surgendum erit)*.

9. Lectis per Archiepiscopum Prophetia et Tractu, aufert ab eo gremiale et mitram, et stat post Diaconum, dictoque ab eo, *Flectamus genua*, cantat: *Levate*.

10. Completa Oratione: *Deus, a quo*, accedit ad Abacum, et dimissa ibi planeta plicata, accipit librum, et post debitas Cruci et Archiepiscopo reverentias procedit ad legile, et cantat aliam Prophetiam in tono Epistolae.

11. Dein absque osculo manus, factis debitis reverentiis Cruci et Archiepiscopo recedit ad abacum, ubi accipit planetam plicatam, et redit ad assistentiam in loco suo.

12. Dum cantatur Passio stat in plano Epistolae a sinistris Diaconi recta linea versus ad Cantores Passionis.

13. Finita Passione vadit loco suo super secundo gradu, et quando Diaconus, dicto *Munda Cor meum*, vadit ad cantandam postremam partem Passionis, descendit in plano, et cum debitis reverentiis per-

git cum Diacono ab Ambonem, vel apud Legile, ut alias.

14. Post haec redit ad Altare, et factis in plano debitis reverentiis, ascendit in secundo gradu, et si habetur Concio, sedet in suppedaneo.

15. Si concio non sit habenda, dum Archiepiscopus cantat monitiones et orationes, descendit post Diaconum, et ad singulas orationes post *Flectamus genua*, cantat: *Levate*, genuflectendo et surgendo, excepta octava oratione.

16. Dum Archiepiscopus descendit ad angulum posteriorem Epistolae, ablata prius ab eo planeta, descendit in planum, et stat ad ejus sinistram versa facie ad populum.

17. Dicto per Archiepiscopum prima, secunda, et tertia vice: *Ecce lignum Crucis*, prosequitur in cantu cum ceteris Ministris: *In quo salus Mundi pependit*, semper ad sinistram Archiepiscopi stans.

18. Dum Archiepiscopus defert Crucem ad locum paratum pro Adoratione, se recipit in plano Epistolae cum Presbytero, et Diacono.

19. Archiepiscopo ad Altare redeunte iterum accedit, et stat in plano ante gradus anteriores Altaris cum Diacono, et Diaconis assistentibus.

20. Reverso Archiepiscopo ab Adoratione accedit ad eum in secundo gradu, et adjuvat Diaconum imponentem planetam

et mitram, et statim ad Abacum pro dimittendis calceis, et mox inter Canonicos loco suo pro Adoratione, dimisso pariter manipulo (1).

21. Peracta Adoratione redit ad Abacum, et acceptis calceis et manipulo vadit ad suam assistentiam in secundo gradu.

22. Ibi stans respondet alternatim Archiepiscopo Improperia legenti cum Diacono, quibus finitis sedet in suppedaneo accepta mitra, vel bireto.

23. Circa finem adorationis surgit cum Diacono, et per planum vadit ad cornu Epistolae, et cum eo explicat Tobaleam versus frontem Altaris, quo facto redit ad locum suum, et sedente Archiepiscopo sedet.

24. In processione ad Sacellum incedit loco suo inter Canonicos paratos, et sic in recessu cereum gestans, quem apud Altare deponit, et se retrahit prope cornu Epistolae.

25. Reposito Sacramento super Altari Majori, dum Archiepiscopus illud thurificat, genuflectit ad ejus sinistram, et planetam elevat, quod praestat etiam in thurificatione Oblatorum stans in secundo gradu.

26. Dum Archiepiscopus lavat manus, descendit in plano, et stat cum Diacono e regione Archiepiscopi, et deinde retro Archiepiscopum in plano ante infimum

(1) *Ex cit. Decr. 15. Sept. 1736.*

gradum, nec respondet: *Suscipiat*, post: *Orate Fratres*.

27. Responso per Chorum: *Amen*, post: *Libera nos*, ascendit in secundo gradu, et genuflectit super suppedaneo ad elevationem.

28. Archiepiscopo Hostiam super Calicem declinante, surgit, descendit in plano ad locum suum, et stat peracta prius genuflexione.

29. Quando Archiepiscopus dicit: *Quod ore*, ascendit ad cornu Evangelii, extergit calicem, quem nigro velo coopertum, reportat cum bursa et corporali ad abacum.

30. Absoluto Officio, accedit cum Diacono ad abacum, et dimittit planetam plicatam et manipulum.

31. Deinde vadit ad Sedem ad exuendum Archiepiscopum, quo exuto sic in albis recedit cum Diacono in Secretarium ad se pariter exuendum.



TITULUS IV.

DE SABBATO SANCTO.

CAP. I.

De Officio Presbyteri Assistentis.

§. I.

In Benedictione novi Ignis.

1. Dum Archiepiscopus benedicit grana incensi, et Thuriferarius novum ignem in thuribulo immittit, accedit ad Archiepiscopum cum consueto habitu Chorali.
2. Mox accepta navicula a thuriferario, cum osculis offert Archiepiscopo cochleare pro imponendo thure, et deinde thuribulum, ut alias, quod similiter recipit cum osculis.
3. Quo facto cum debitis reverentiis recedit ad locum suum inter Canonicos.

§. II.

In Processione cum Arundine.

1. Dum Diaconus apud suum scabellum induit paramenta alba, depositis violaceis, cum consueto habitu Chorali accedit ad Sedem, et ministrat naviculam more solito ut supra §. I. quo facto recedit inter Canonicos.

§. III.

Ad Nonam et Prophetias.

1. Quando Archiepiscopus, dicta Oratione: *Respice*, post Nonam, redit ad Sedem, in habitu Chorali accedit ad Sedem cum Ministris de libro et bugia.
2. Completis Psalmis, et orationibus praeparationis, ministrat mantile ad tergendas manus Archiepiscopi, quo facto recedit inter Canonicos.
3. Dum Canonici accipiunt paramenta violacea, accipit et ipse pluviale violaceum, et quando imponitur Archiepiscopo planeta, accedit ad sedem.
4. Praecedit immediate Archiepiscopum ad Altare, et sistit ante gradus illius in plano; et eo redeunte ad Sedem praecedit, et ad suum scabellum, ubi sedet, sedente Archiepiscopo.
5. Dum Archiepiscopus cantat Orationes post Prophetias, librum sustinebit, et completis Prophetiis, recedit inter Canonicos ad locum suum.
6. Quando proceditur ad Fontem, incedit in loco suo inter Canonicos.
7. Tam extra Fontem, quam intra Cancellos, durante benedictione sustinebit librum ante Archiepiscopum.
8. Absoluta Benedictione aquae, et ante infusionem Sacrorum Oleorum ministrat Archiepiscopo aspersorium, et deinde a-

spergit Canonicos, et alios per Ecclesiam, et completa benedictione recedit inter Canonicos, durante administratione baptismi, et usque ad finem Litaniarum.

§. IV.

In Missa Pontificali.

1. In Litaniis ad ℣. *Peccatores* deponit pluviale violaceum, et assumit cum Canonicis aliud albi coloris.
2. Quando Chorus incipit cantare *Kyrie*, accedit ad Altare, ubi stans ad dexteram Archiepiscopi respondet ad Psal. *Judica*, et ad Confessionem usque ad Orationem: *Aufer a nobis* exclusive, et peragit omnia, ut supra in Dominica Palmarum tit. 1. cap. 1. § 2. exceptis sequentibus.
3. Durante Collatione Minorum et Maiorum Ordinum, si ipse Presbyter non sit Archidiaconus, recedit inter Canonicos.
4. Acolythis ordinatis, et dimissis, accedit ad Sedem, et dicto: *Amen* post Collectam iterum recedit inter Canonicos.
5. Ordinatis Subdiaconis iteram ad Sedem, et cantata Epistola, iterum inter Canonicos, et sic post Ordinationem Diaconorum.
6. Quando Archiepiscopus cantat *Alleluia*, sustinebit librum ante eum, et lecto Tractu usque ad ℣. *Quoniam* exclusive, iterum inter Canonicos.
7. Ordinatis Presbyteris vadit ad Sedem, et

dein ministrat naviculam pro imponendo thure ad Evangelium.

8. In Missa peragit cetera de more.

9. Archiepiscopo ad Sedem accedente pro Vesperis, ibit pariter ad suum scabellum, et ad *Magnificat* thurificat Archiepiscopum triplici ductu.

10. Post Solemnem benedictionem publicabit Indulgentias.

11. Si vero Presbyter erit Archidiaconus, in collatione Ordinum peraget quae in Memoriali sunt notata.

CAP. II.

De Officio Diaconi Evangelii.

§. 1.

In benedictione novi Ignis.

1. Dum in Choro recitantur Horae Minores, in Secretario induit amictum, albam, et stolam violacei coloris, et completa Sexta accipiens Mitram, vel biretum, sic in Albis in Presbyterium cum Subdiacono.

2. Ingrediens Presbyterium deponit mitram vel biretum, genuflectit Cruci, et vadit ad suum scabellum apud Altare.

3. Postquam Archiepiscopus in Sede paululum quieverit, facta genuflexione Cruci accedit ad Archiepiscopum cum Subdiacono a sinistris ad eum induendum, (cotta si est ex Ordine Regulari), amictu, alba, cingulo, Cruce pectorali, stola et plu-

viali violacei coloris cum pectorali, et Mitra simplici.

4. Archiepiscopo parato redit ad suum scabellum, et ibi stat durante benedictione.
5. Dum Archiepiscopus aspergit et thurificat ignem et grana incensi, iterum ad Sedem in plano a dexteris.
6. Ibi cum Presbytero assistente, et Subdiacono reveretur Archiepiscopum, et ascendit ad eum exuendum sacris vestibus.

§. II.

In Processione cum Arundine, et ad Praeconium.

1. Exuto Archiepiscopo, recedit ad proprium Scabellum, ubi deposita Stola violacea, accipit per Acolythos manipulum, stolam, et Dalmaticam albi coloris.
2. Sic indutus cum aliis Comministris procedit in Secretarium cum debitis genuflexione Cruci, et reverentia Archiepiscopo, incedens post Subdiaconum cum Cruce.
3. Ibi accipit arundinem, jam per Sacristam paratam cum tribus candelis cum lychnis in earum cuspide.
4. Deinde procedit e Secretario per Navem lateralem, et per longiorem viam ad navem mediam prope Portam majorem Ecclesiae, cum mitra vel. bireto deferens arundinem post Subdiaconum.
5. Ante dictam Portam sistit, versa facie

ad Altare majus, et deposita mitra inclinat arundinem, et accensa una ex tribus candelis ex laterna allata, illam statim erigit.

6. Max genuflectit, et alta voce cantat: *Lumen Christi* in tono lectionis, et surgit.

7. Procedit deinde simili modo ad medium Ecclesiae, ibique sistens, inclinata arundine, accendit alteram candelam, genuflectit, cantat altiori voce: *Lumen Christi*, et surgit.

8. Sic procedit ad gradus Presbyterii, et in supremo gradu accendit ut supra tertiam candelam, ibi genufleetit, et voce adhuc altiori cantat: *Lumen Christi*, et surgit.

9. Tradit deinde arundinem uni ex Cappellanis, et accepto Missali a Caeremoniario, ipso comitante accedit ante gradus Sedis Archiepiscopalis, et petit ab Archiepiscopo benedictionem inclinatus, dicens: *Jube Domne benedicere.*

10. Accepta benedictione vadit ad Ambonem, vel apud Legile, et habens ad dexteram Subdiaconum cum Cruce, et ad sinistram Acolythum cum Arundine, aperit et thurificat librum.

11. Tum incipit cantare Praeconium, in quo haec observabit:

   1. Post illa verba: *Curvat imperia*, Acolytho ducente Cereum, jam amotum e suo Candelabro, infigit in eo quinque grana incensi in modum Crucis hoc ordine:

1
4 2 5
3

quo facto prosequitur cantum.

2. Post verba illa : *rutilans ignis accendit*, ex arundine accendit Cereum.

3. Post verba : *apis mater eduxit*, cessat pariter a cantu, donec Acolythus cum candela virgae superinflexa, ac e Cereo accensa, accendat lampades per Ecclesiam.

4. Accensis lampadibus, prosequitur Praeconium, et ad verba : *Imperatorem nostrum*, in Regno utriusque Siciliae dicat : *devotissimum Regem nostrum N.*, vel aliter pro consuetudine loci alibi.

12. Completa benedictione Cerei, cum debitis reverentiis Archiepiscopo et Altari, vadit ad suum scabellum cum Subdiacono, ubi deposita Dalmatica, stola, et manipulo albi coloris, accipit stolam violaceam tantum, et sic in albis sedet cum mitra, vel bireto.

§. III.

Ad Nonam, Prophetias, et Benedictionem Fontis.

1. Dum recitatur Nona sedet in suo scabello, ubi ad ℣. *Christus* usque ad Orationem : *Respice*, genuflectit aperto capite.

2. Dicta Oratione : *Respice*, iterum sedet, et completis ab Archiepiscopo orationibus

praeparationis dum lavat manus, accedit ad Sedem cum Subdiacono ad induendum Archiepiscopum paramentis Missalibus, scilicet: amictu, alba, cingulo albi coloris, manipulo, Cruce pectorali, stola, tunicella, dalmatica, chirothecis et planeta violacei coloris, et mitra Simplici.

3. Induto Archiepiscopo recedit ad suum scabellum, ubi accipit manipulum, et planetam plicatam violaceam.

4. Archiepiscopo ad Altare accedente, procedit ad Altare, et in plano aufert ei cum Subdiacono Mitram, et ascendit, et osculatur Altare.

5. Osculato Altari imponit mitram Archiepiscopo, et revertitur ad suum Scabellum, ubi sedet cum mitra, vel bireto, et surgentibus ceteris ad Orationes post singulas Prophetias, surgit.

6. Completa ultima prophetia, deponit ibi manipulum, et planetam plicatam, et mox vadit ad exuendum Archiepiscopum paramentis Missalibus usque ad stolam exclusive, et induit ei pluviale violaceum, pectorale, et mitram simplicem.

7. Parato Archiepiscopo recedit ad proprium Scabellum, ubi sumit planetam plicatam tantum absque manipulo, et dein inter Canonicos ad suum stallum Chorale.

8. Procedit deinde ad Benedictionem Fontis, incedendo ordine suo inter Canonicos paratos, ibique pariter sedet in sedili sibi competente.

9. Expletis benedictione Fontis, et baptismi administratione, revertitur in Presbyterium ad suum Scabellum, et deponit planetam plicatam.

§. IV.

Ad Litanias, et ad Missam.

1. Cum Archiepiscopus ante Altare pervenerit, accedit ad eum, et exuit pectorali, et pluviali, excepta Mitra, et ad suum scabellum, ante quod genuflectit ad initium Litaniarum.
2. Dicto in Litaniis ℣. *S. Maria, ora pro nobis*, surgit, et una cum Subdiacono procedit ad Secretarium sic in albis.
3. Ibi deposita stola violacea, accipit stolam et Dalmaticam albi coloris.
4. Cum in Litaniis dicitur ℣. *Peccatores*, tunc et non prius, accedit ad Presbyterium cum Subdiacono, et vadit apud Archiepiscopum ante Altare ad eum induendum paramentis Missalibus albi coloris, scilicet stola (ablata violacea), Tunicella, Dalmatica, chirothecis, planeta, et Pallio Archiepiscopali, ac Mitra auriphrygiata.
5. Parato Archiepiscopo, et accepto ibi manipulo procumbit a dexteris Archiepiscopi cum Subdiacono a sinistris, donec absolvantur Litaniae.
6. Repetito per Chorum ℣. *Christe exaudi*

nos, surgit cum Archiepiscopo, aufert ei mitram, et respondet ad Psal. *Judica* et ad Confessionem de more, servando omnia ut supra Tit. I. cap. 2. §. 2. a num. 6. ad num. 15., imponendo Mitram pretiosam post Thurificationem Altaris.

7. Archiepiscopo ad Altare accedente, procedit ad Altare, et sedet ad dexteram Archiepiscopi in scabello super suppedaneo, durante Tonsura Clericorum, et ante orationem: *Adesto Domine*, dicit: *Flectamus genua*, stans retro Archiepiscopum, et post orationem sedet.
8. Tonsuratis omnibus dum Archiepiscopus recedit ad Sedem, vadit ad suum scabellum in cornu Epistolae.
9. Circa finem hymni Angelici accedit iterum ad Altare, et sedet a dexteris Archiepiscopi, durante collatione Ordinum; et dicet *Flectamus genua*, quoties dicendum erit.
10. Acolythis ordinatis iterum ad suum scabellum, et sic deinceps.
11. Proceditur in Missa, ut alias, his exceptis.
12. Non cantat Evangelium, quod cantabitur a primo ex Diaconis noviter ordinatis, neque Confessionem in Communione Ordinatorum, in qua servabit omnia ut supra Tit. II. cap. 2. num. 13. et 14.
13. Ad *Magnificat* ministrat Archiepiscopo in thurificatione Altaris naviculam et thuribulum, et planetam elevat.

14. Publicatis Indulgentiis post Benedictionem solemnem, aufert Archiepiscopo Pallium, quod super Altari deponit.
15. Finita Missa, vadit ad suum scabellum, ubi deponit manipulum, et accedit ad Sedem ad exuendum Archiepiscopum, quo facto revertitur ad suum scabellum, et expectat Subdiaconum Sandalia detrahentem.
16. Quo facto recedit in Secretarium ad se exuendum sacris vestibus.

CAP. III.

De Officio Subdiaconi.

§. I.

In benedictione novi Ignis.

1. Dum in Choro recitantur Horae Minores, in Secretario induit se amictu, alba, et cingulo, et post Sextam sic in Albis in Presbyterium cum Diacono, accepta mitra, vel bireto.
2. Ingrediens Presbyterium, deposita mitra, vel bireto, genuflectit Cruci, et vadit apud Altare in proprio scabello.
3. Quando tempus erit, facta genuflexione Cruci, vadit ad Sedem cum Diacono ad induendum Archiepiscopum, adjuvando Diaconum a sinistris Sedis.
4. Induto Archiepiscopo, sedit ad suum sca-

bellum, et sic in albis stat durante benedictione.

5. Thurificatis igne, et granis incensi, iterum ad Archiepiscopum ad eum exuendum Sacris paramentis, quo facto redit ad locum suum.

§. II.

Ad Processionem cum Arundine, et ad Praeconium.

1. Apud suum scabellum accipit manipulum, et planetam plicatam coloris violacei.
2. Tum accipit Crucem Archiepiscopalem, et praecedente Thuriferario procedit cum aliis Ministris ad Secretarium cum debitis genuflexione Cruci, et reverentia Archiepiscopo.
3. Accepta per Diaconum Arundine, e Secretario praecedentibus Acolytho cum granis incensi et Thuriferario, procedit, Crucem deferens, per navem lateralem versus portam majorem Ecclesiae per longiorem viam.
4. Ante dictam portam, versa facie ad Altare majus, sistit, donec Chorus responderit: *Deo gratias*, numquam genuflectendo ad: *Lumen Christi*, et sic secunda et tertia vice in medio Ecclesiae et ad Supremum gradum Presbyterii.
5. Responso per Chorum tertio: *Deo gratias*, accedit cum aliis Ministris, excepto

Diacono, apud Legile paratum pro Praeconio, stans a dextris Legilis, versa facie prout vertit Diaconus.

6. Absoluto cantu Praeconii deponit Crucem in loco suo, et dein vadit ad suum scabellum, ubi dimittit manipulum, et planetam plicatam, et sedet cum mitra, vel bireto sic albis.

§. III.

Ad Nonam, Prophetias, et Benedictionem Fontis.

1. Ad ℣. *Christus factus est obediens*, post tertium Psalmum Nonae, deponit mitram, vel biretum, et genuflectit.
2. Post orationem: *Respice*, surgit, et accedit ad abacum, ubi accepto velo humerali violaceo, super lance argentea sumit Sandalia albi coloris, et cooperta cum extremitate veli defert ad Archiepiscopum comitantibus Ministris de more, servando quae dicta sunt Tit. I. cap. 3. §. 2. num. 3.
3. Impositis Sandaliis, redit ad abacum, ubi dimittit velum humerale et calceos detractos, et dein ad suum scabellum.
4. Dum Archiepiscopus lavat manus, accedit ad Sedem cum Diacono ad eum induendum paramentis Missalibus violaceis, adjuvando Diaconum.
5. Parato Archiepiscopo, redit ad suum scabellum, et accipit manipulum, et planetam plicatam.

6 Inde accedit ad Altare, et a sinistris Archiepiscopi ascendit ad illud, et osculatur, descendit, et recedit ad suum scabellum, ubi sedet cooperto capite, et surgentibus aliis ad Orationes, surgit.

7. Finitis Prophetiis deponit cum Diacono planetam plicatam, et manipulum; et vadit cum eo ad exuendum Archiepiscopum paramentis Missalibus usque ad Stolam exclusive, et adjuvat quando imponitur ei pluviale, pectorale et mitra simplex.

8. Post haec revertitur ad suum scabellum, ubi accipit planetam plicatam tantum, absque manipulo.

9. Recedit deinde inter Canonicos paratos, procedentes ad Fontem, et incidit ordine suo inter eos, et ad Fontem sedet in sedili sibi competente.

10. Expletis Benedictione Fontis, et baptismi administratione, redit in Presbyterium ad suum scabellum, et dimittit planetam plicatam.

§. IV.

Ad Litanias, et Missam.

1. Reverso Archiepiscopo ante Altare; vadit ad eum a sinistris, et exuit cum Diacono pectorali et pluviali, excepta mitra, quo facto recedit ad proprium scabellum, ubi genuflectit ad initium Litaniarum.

2. Dicto ℣. *S. Maria, ora pro nobis,* surgit,

et cum Diacono sic in Albis vadit in Secretarium.

3. Ibi accipit tunicellam albi coloris, et ad ℣. *Peccatores*, et non prius, procedit ad Presbyterium apud Archiepiscopum a sinistris.
4. Mox adjuvat Diaconum induentem Archiepiscopum paramentis Missalibus albi coloris, et induto Archiepiscopo accipit ibi manipulum, et procumbit cum eo donec absolvantur Litaniae.
5. Repetito per Chorum ℣. *Christe exaudi nos*, surgit et aliquantulum se retrahit, et accepto manipulo, suo tempore illud imponit in sinistro brachio Archiepiscopi cum osculis, servando quae dicta supra Tit. I. Cap. 3. §. 2. a num. 7. ad 11.
6. Archiepiscopo sedente super suppedaneo Altaris, sedet a sinistris ejus, durante collatione Ordinum, et recedit quoties Archiepiscopus recedit ad Sedem.
7. Quoties ad Orationes Diaconus dicit: *Flectamus genua* in Ordinatione, toties respondet: *Levate*.
8. Proceditur in Missa, ut alias, his exceptis.
9. Non cantat Epistolam, quae cantabitur a primo ex Subdiaconis noviter ordinatis.
10. In communione Ordinatorum servabit quae dicta sunt supra Tit. II. cap. 3. num. 13. et 14.
11. Ad *Magnificat* elevat planetam Archiepiscopi Altare thurificantis.

12. Finita Missa, recedit ad suum scabellum, et deposito ibi manipulo vadit cum Diacono ad Sedem, et exuit Archiepiscopum sacris paramentis.

13. Tum redit ad locum suum, et statim ad Abacum, ubi accipit velum humerale album, et calceos Archiepiscopi, et procedit cum Acolythis ad Sedem ad detrahenda sandalia.

14. Detractis sandaliis redit ad Abacum, ubi ea deponit cum velo humerali, et demum cum Diacono recedit in Secretarium ad se exuendum sacris vestibus, et vadit in pace.



APPENDIX ALTERA

CONTINENS RITUM LOTIONIS ALTARIS

FERIA V. IN COENA DOMINI

In aliquibus Ecclesiis observatum.



Sacrorum Rituum Studiosis

Ritus abluendi Altaria die Coenae Domini, alicubi adhuc retentus, ab Ecclesia Graeca ad Latinam, ut omnes norunt, non sine mysterio invectus, religiose a quamplurimis Ecclesiis vetustissimis, et praecipue a Romana, ceterarum Magistra, exceptus fuit, ut erudite more suo disserunt Franciscus Orlendus Ordinis Praedicatorum (1), Edmundus Martene (2), et Antonius Bellotte (3). Hoc enim ritu, juxta non nullos scriptores (4), denotatur quod a Josepho ab Arimathea, et Nicodemo fuerat peractum, priusquam corpus Jesu, jam nudatum, et proprio sanguine conspersum, sepulturae traderetur, illud, mixtura myrrhae et aloes adhibita, linteis et aromati-

(1) *De Duplici lavacro in Coena Domini.*
(2) *De antiq. Eccles. Ritib. cap. 62. §. 7.*
(3) *Ritus Ecclesiae Laudunen pag. 306. et seq.*
(4) *Orlend. cit. cap. 12. per totum.*

bus condiendo. Alii vero, inter quos Durandus (1), et Rupertus (2), autumant, Altarilavium fieri in memoriam unctionis, qua Maria Magdalene in Bethania, et in domo Simonis Leprosi (3) fracto alabastro unguenti pretiosi, praepropere caput Redemptoris linivit, qui Judae, conquerenti de hujusmodi actione, respondit; eam praevenisse unctionem sui corporis in sepulturam, quae mysteria sanctissime a Catholica Ecclesia per lotionem Altarium repraesentantur. Quamque vero hic lotionis ritus ab Ecclesiis olim fuerit receptus, dudum tamen obsolevit, saltem in Italia, sicuti etiam in Ecclesia Capuana, in qua juxta pervetustum ejus Rituale post denudationem Altarium, eorum lotio cum aqua, vino, et herbis odoriferis peragebatur. Hodie vero in Basilica Vaticana S. Petri de Urbe hic Ritus est quotannis in viridi observantia, et in Ecclesia Beneventana ab ejus Antistite Vincentio Maria Ursinio, inde ad Summum Pontificatum evecto suo nomine Benedicti XIII, novo edicto restitutus, et apud nonnullas alias Ecclesias pariter observatus.

Ne igitur in Memorialis hujus editione aliquid deficeret visum fuit heic adjicere praxim talis lotionis, excerptam ex Disser-

(1) *Lib. 6. cap. 76. num. 6.*
(2) *De Divinis Off. Lib. 5. cap. 31.*
(3) *Matthaei cap. XXVI. v. 6. et 7.*

tatione Christophori Battelli (1) pro Basilica Vaticana, et ex Orlendo (2) ad usum illarum Ecclesiarum, mysticam hanc lotionem adhuc servantium, et eo plane modo, quo Romae peragitur.

(1) *Ritus annuae ablutionis Altaris Majoris Sacrosanctae Vaticanae Basilicae in die Coenae Domini explicatus, et illustratus Romae 1707 in 8.*

(2) *De duplici lavacro in Coena Domini. Florentiae 1710. in 4. cap. VI. num. 2.*



CAPUT I.

De Praeparandis.

In Altari Secretarii.

Paramenta Pontificalia pro Archiepiscopo, videlicet: Pluviale et Stola nigri coloris, Crux pectoralis, Cingulum, Alba, Amictus, (et superpelliceum, si Archiepiscopus sit ex Ordine Regulari assumptus), omnia velo serico nigro cooperta, et Mitra simplex cum velo.

In Abaco Secretarii.

1. *Stolae nigri coloris pro numero Dignitatum.*
2. *Totidem superpellicea pro iisdem, et aliud pro Sacrista.*
3. *Mitrae pro dignitatibus, si ejus usum habeant.*

In Abaco Presbyterii.

1. *Tres ampullae vino optimo plenae, cum admixta parva aquae quantitate pro unaquaque.*
2. *Mantilia linea pro Archiepiscopo, et Dignitatibus.*
3. *Spongiae totidem.*
4. *Lances, et paterae argenteae in numero competenti.*
5. *Aspergilla complura, ex buxo, vel taxo,*

vel Sanguinaria, pro numero abluentium Canonicorum, Beneficiatorum, et Clericorum.

6. *Antiphonarium, et bugia cum candela cerae communis extincta.*

In Presbyterio.

Faldistorium ex aurichalco nudum cum duobus pulvinaribus nigri coloris.

CAP. II.

De Ritu lotionis Altaris.

§. I.

De agendis usque ad Accessum ad Altare.

1. Dum in Choro recitatur Psalmus *Miserere* post Laudes Matutinales Officii Feriae VI. de sero Feriae V. in Coena Domini, cum debitis genuflexionibus Altari et Archiepiscopo, Acolythi in numero competenti cum Caeremoniario e Presbyterio ad Secretarium,
2. Completa Oratione *Respice*, et peracto fragore, Archiepiscopus vadit ad Sedem, trahens sibi per terram caudam Cappae, et cum Diaconis assistentibus sedet, sedentibus omnibus.
3. Interim Acolythi e Secretario, praece-

dente Caeremoniario, deferentes paramenta Archiepiscopi, procedunt, singulatim in Presbyterium gravi incessu.

4. Ingressi Presbyterium genuflectunt pariformiter Cruci Altaris et Archiepiscopo, et accedunt ante Sedem Archiepiscopalem hoc ordine:
   1. Acolythus deferens superpelliceum (si tamen est deferendum).
   2. Acolythus deferens Amictum.
   3. Acolythus deferens Albam.
   4. Acolythus deferens Cingulum.
   5. Acolythus deferens Crucem pectoralem.
   6. Acolythus deferens Stolam.
   7. Acolythus deferens Pluviale.
   8. Acolythus deferens Mitram.
5. Archiepiscopus induitur dictis paramentis per Diaconos assistentes.
6. Interim procedunt similiter e Secretario Acolythi deferentes paramenta pro Dignitatibus, nempe superpellicea pro numero ipsarum, ad minus quatuor, singuli unum, et sic stolas, et Mitras, si his utuntur, et factis genuflexionibus debitis in Presbyterio, vadunt ad Sedes Dignitatum.
7. Dignitates, per manus aliorum Acolythorum deponentes Cappas, quas ii statim in Secretarium deferunt, assumunt superpellicea super Rocheto, stolas, et Mitras, dum Archiepiscopus accipit cingulum, et sedent omnes, sedente Archiepiscopo.

8. Statim duo Acolythi accedunt ad abacum, accipiunt super argenteis lancibus tot aspergilla quot sunt Canonici non parati, et associatis a duobus aliis Acolythis, vadunt ad Sedes Canonicorum, factis debitis genuflexionibus Cruci et Archiepiscopo.
9. Acolythi alii, associantes praedictos delatores, distribuunt singulis Canonicis aspergilla allata.
10. Eodem tempore, duo alii Acolythi accipiunt ex abaco alia aspergilla pro numero Beneficiatorum, necnon Sacerdotum, Diaconorum, et Subdiaconorum.
11. Demum duo alii Acolythi similiter accipiunt reliqua aspergilla, quae ceteris Clericis eodem tempore distribuunt.
12. Per Acolythos deputatos defertur Faldistorium cum pulvinaribus ante Altare.

§. II.

De Accessu ad Altare.

1. Descendunt omnes e suis Sedibus hoc ordine:
   1. Parati bini et bini incipiendo a junioribus.
   2. Archiepiscopus inter Diaconos assistentes, et post ipsum Minister de Mitra, et Caudatarius.
   3. Canonici omnes non parati.
   4. Mansionarii, seu Beneficiati.

5. Omnes Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi:

2. In Presbyterio omnes se disponunt per gyrum quadruplicatum hac methodo.
   1. In primo gyro stat Archiepiscopus cum Dignitatibus paratis:
   2. In secundo gyro Canonici non parati sita ut dignior sit in cornu Evangelii.
   3. In tertio gyro pari modo Mansionarii, seu Beneficiati, Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi.
   4. In quarto gyro Clerici Seminarii.
3. Omnibus sic stantibus Archiepiscopus deponit Mitram per manus Diaconorum assistentium, qui statim recedunt in loco suo inter Canonicos, et Dignitates deponunt Mitras.
4. Mox omnes genuflectunt cum Archiepiscopo unico genu, et statim surgunt.
5. Iterum omnes genuflectunt ambobus genibus in suis locis, et Archiepiscopus apud Faldistorium, et orant paululum.

§. III.

De ipsa ablutione.

1. Omnibus sic genuflexis et orantibus, Archiepiscopus ex libro cum bugia extincta intonat Antiphonam: *Diviserunt*, quam Cantores cunctanter prosequuntur cum Psal. 21. *Deus, Deus meus respice in me.*
2. Archiepiscopus surgit, surgentibus om-

nibus, et per Diaconos assistentes deponit pluviale, et accipit Mitram, quam accipiunt etiam Dignitates, si ea utantur, alias manent detecto capite, et statim Diaconi recedunt.

3. Amovetur Faldistorium, et Archiepiscopus et Dignitates ascendunt in suppedaneo, et omnes simul amovent e mensa Chrismale, quod statim tradunt duobus Acolythis, qui illud devote recipiunt, involvunt, et ad abacum deferunt.

4. Interim tres Acolythi ex abaco accipiunt aspergilla, unus scilicet aspergillum pro Archiepiscopo super patera argentea, et alii duo aspergilla pro Dignitatibus, et vadunt ad Altare.

5. Primus Acolythus tradit Caeremoniario aspergillum Archiepiscopi; quod ei tradit, et duo alii accedunt ad Dignitates, qui sua accipiunt, aliquantulum se retrahentes.

6. Statim unus Acolythus accipit ex abaco unam ex tribus ampullis vini, et praecedente Sacrista cotta induto, accedit ante Altare, et facta genuflexione ascendit in suppedaneo, et relinquit ampullam in manibus Sacristae, et expectat.

7. Sacrista inter Archiepiscopum et primam Dignitatem effundit ampullam super mensa, et vacuam dat Acolytho, et simul descendunt in plano, genuflectunt, et redeunt ad abacum.

8 Effuso vino super mensa, statim Archie-

piscopus et Dignitates cum aspergillis vinum effusum dilatant, diffundunt, et totam mensam perfricant.

9. Dum haec perfricatio agitur primi sex, aut quinque, aut quatuor Canonici non parati, seniores in medio, juniores hinc inde, accedunt ante gradus Altaris, et genuflectunt super infimo gradu, et orant.

10. Absoluta lotione, et perfricatione Archiepiscopus et Dignitates genuflectunt super suppedaneo cum mitra, descendunt in plano, et, restitutis aspergillis Acolythis, Dignitates stant ante infimum gradum facie versa ad Altare, et Archiepiscopus vadit ad Faldistorium in plano Epistolae, et sic in albis sedet.

11. Mox surgunt Canonici genuflexi, ut num. 9., ascendunt, et cum aspergillis eamdem mensam lavant, et perfricant.

12. Interim Canonici subsequentes eodem numero, quo primi, accedunt ad Altare, et genuflexi orant, et primis recedentibus per breviorem ad loca sua, surgunt, ascendunt, et post genuflexionem lavant, et perfricant, ut primi, et sic successive usque ad postremos Canonicos.

13. Dum postremi Canonici perfricationem peragunt, iterum Sacrista cum Acolytho, aliam ampullam deferente, ascendit, ut prius, Altare, et illam super mensa effundit, et per breviorem recedit ad Abacum.

14. Tum primi sex, aut quinque, aut quatuor Mansionarii seu Beneficiati, jam genuflexi super infimo gradu orantes, ascendunt cum aspergillis, et vinum effusum dilatant, et totam mensam lavant, et perfricant.
15. Post hos succedunt alii subsequentes eodem numero, usque ad Subdiaconos inclusive, et eadem faciunt, quae primi.
16. Quando postremi sex, aut quinque aut quatuor Subdiaconi lotionem et perfricationem perficiunt, tertio Sacrista cum ultima ampulla, ab Acolytho delata, ascendit Altare, et illam effundit, ut alias.
17. Interim sex Acolythi genuflectunt, et orant, inde surgunt, ascendunt, et cum aspergillis vinum effusum dilatant, totam mensam perfricando, ut primi, et sic deinceps usque ad postremos Clericos.
18. Dum praedicta ablutio et perfricatio a Clero peragitur a num. 9. ad 17. Cantores pausatim cantant Psal. *Deus*, *Deus meus* etc. et Archiepiscopus apud Faldistorium illud recitat accedentibus ministris de libro et bugia.

§. IV.

De abstersione Altaris.

1. Peracta a toto Clero lotione Altaris, ut supra, Diaconi assistentes accedunt ad Archiepiscopum, qui statim surgens va-

dit ante gradus Altaris cum Dignitatibus paratis, et Diaconi recedunt inter Canonicos.

2. Archiepiscopus et Dignitates facta cum mitra genuflexione Cruci super infimo gradu, ascendunt simul suppedaneum, et ibi respective singuli accipiunt spongias ab Acolythis delatas super argenteis pateris, et cum illis residuum vini absorbent.

3. Mox redditis spongiis, accipiunt singuli mappulas seu mantilia, similiter ab Acolythis allata, et totam mensam, etiam in fronte per circuitum, extergunt diligenter.

4. Absoluta abstersione, Archiepiscopus et Dignitates cum mitra genuflectunt Cruci, tum descendunt in plano, et se locant, in primo gyro, ut in principio.

5. Tunc accedunt Diaconi assistentes, et imponunt Archiepiscopo pluviale, et allato Faldistorio, Archiepiscopus deponit mitram, et genuflectit super pulvino, genuflectentibus Dignitatibus et ceteris de Clero in gyris suis.

6. Repetita Antiphona: *Diviserunt*, Cantores cantant ℣. *Christus*, addito: *mortem autem Crucis*, et dicto secreto: *Pater noster*, Archiepiscopus sine cantu recitat Orationem: *Respice*.

7. Dein surgunt omnes, et facta genuflexione Cruci, Archiepiscopus accipit mitram per Diaconos assistentes, et eodem ordine redeunt ad propria stalla in Choro, et Archiepiscopus ad Sedem.

8. Archiepiscopus deponit paramenta de more, et Dignitates sua, et accipiunt cappas ad Acolythis delatas.
9. Procedunt deinde omne ad Sacellum seu sepulchrum, et ante SS. Sacramentum orant paululum; quo facto recedunt ad Secretarium, se exuunt habitu Chorali, et vadunt in pace.

PROTESTATIO

Omnia et singula, tam in adnotationibus quam in duplici appendice, huic Memoriali Rituum adjecta, dicta et scripta esse censeantur salvo semper sapientissimo judicio Eminentissimorum Patrum Sacrae Congregationis Rituum, quibus Auctor cuncta subjicere intendit, et expresse protestatur.

FINIS.

INDEX

Eorum, quae in hoc volumine continentur.

FINIS.

CONSIGLIO GENERALE
DI PUBBLICA ISTRUZIONE

—

Napoli 26 marzo 1853

Vista la domanda del tipografo Andrea Festa, con che ha chiesto porre a stampa una *Raccolta di opere ascetiche in prosa ed in versi, predicabili e di pietà ;*

Visto il parere del Regio Revisore Rev. P. M. D. Giuseppe Placente:

Si permette che la suddetta Raccolta si stampi ; però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà, se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato
Presidente Provvisorio
CAPOMAZZA

Il Segretario Generale
Giuseppe Pietrocola

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
PER LA REVISIONE

Napoli 29 Marzo 1855

Nihil obstat

Giuseppe Pennasilico P. dell'Oratorio
Cens. Teol.

IMPRIMATUR
Pel Deputato
LEOPOLDO RUGGIERO *Segretario.*

	ERRATA	CORRIGE
Retro Titul. vers. 2.	*ceremonias*	*Caeremonias*
In Epist. Dedic. pag. 3. vers. 10.	levidente	levidense
Pag. 14. vers. 1.	cantat.	cantat;
— 42. « 13.	laudes	Laudes
— 44. « 14.	Chirotheca	Chirothecae
— 77. « 29.	*et*	et
— 80. « ult.	*umerum*	*humerum*
— 87. « 23.	Da	De
— 92. « 11.	pro	per
— 133. « 20.	Acolyhi	Acolythi
— 139. « 13.	§. 2. n. 1. 5. pag. 133.	§. 2. n. 15. pag. 135.
— 214. « 23.	*Suggendum*	*Suggerendum*
— 235. « 2.	dicent e	dicente
— 236. « 21.	Saggestu	Suggestu
— 237. « 6.	diligant	diligunt
— 250. « 10.	Osculatu	Osculato
— 251. « 13.	pronuntiabit	pronuntiaverit
Ibid. « 27.	servanda	servando
— 254. « 5.	Supernum erarii	Supernumerarii
Ibid. « 22.	Damicelli	Domicelli
— 259. « 6.	sem	se
— 261. « 27.	a num. 7. num. ad 9.	a num. 7. ad 9.
— 272. « 13.	infundit calicem	infundit in calicem
— 292. « 23.	iteram	iterum
— 295. « 4.	Max	Mox
— 300. « ult.	sedit	redit
— 303. « 16.	incidit	incedit
— 308. « 12.	Quamque	Quamquam
— 314. « 8.	sita	ita
— 321. « 18.	candantis	cantandis





